QUA RATIONE T. LIVII ANNALIBUS USI SINT HISTORICI LATINI ATQUE GRAECII DESCRIBITUR ET…

Ulrich Koehler, Titus Livius

29.

QUA RATIONE
T. LIVII ANNALIBUS
UBI SINT
HISTORICI LATINI ATQUE GRAECI
DESCRIBITUR
ET QUID INDE IN LIVII TEXTU QUEM DICUNT CONSTITUENDO
REPETI POSSIT EXPONITUR ET EXEMPLIS ILLUSTRATUR

COMMENTATIO PHILOLOGICA
DE SENTENTIA AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
ACADEMIAE GOTTINGENSIS
PRIDIE NON. IVN. A. MDCCCLX
PRAEMIO REGIO ORNATA
QUAM SCRIPSIT

ULRICUS KOEHLER
SAXO-VINARIENSIS
SEMINARII PHILOLOGICI GOTTINGENSIS [illegible]

GOTTINGAE,
TYPIS EXPRESSIT OFFICINA [illegible]

HERMANNO SAUPPE

GOTTINGENSI

PRAECEPTORI SUO CARISSIMO

D. D. D.

ULRICUS KOEHLER.

Praefatio.

Haec commentatio eum pridie Non. Jun. publice praemio regio ornaretur, hoc de ea ab amplissimo philosophorum ordine latum est judicium:

„Die Aufgabe ist zu lösen versucht durch eine mit dem Motto „Odi et amo" bezeichnete Abhandlung, in welcher das Thema in zwei Theilen abgehandelt wird: der erste: qua ratione T. Livi annalibus historici Latini atque Graeci usi sint, describitur, ist zwar mit grossem Fleisse ausgearbeitet, genügt aber nicht völlig in der Bestimmung der Benutzung des Livius durch die Späteren; — der zweite: quid ex historicis Latinis atque Graecis, qui T. Livi annalibus usi sint, in Livi texto constituendo repeti possit, exponitur — legt auch von dem Fleisse und den Talenten des Verfassers das vortheilhafteste Zeugniss ab, doch ist die erste Decade des Livius zu wenig berücksichtigt; dann sind die Versuche des Verfassers zur Heilung der verdorbenen Stellen des Livius nur in wenig Fällen wirklich überzeugend. Da aber von den vielen Schwierigkeiten, welche die Aufgabe bot, viele in dieser Arbeit glücklich behandelt sind, ferner der Fleiss ihres Verfassers alle Anerkennung verdient, endlich die oben bemerkten Mängel von dem Verfasser bei genauer Revision

seiner Arbeit ohne Zweifel beseitigt werden können, so hat die Facultät keinen Anstand genommen, der mit dem Motto „Odi et Amo" versehenen Arbeit den Preis zuzuerkennen, bestimmt aber, dass vor dem Druck im ersten Theile die Art der Benutzung des Livius bei den Historikern näher bestimmt, im zweiten Theile der Text der ersten Decade mehr berücksichtigt und die Conjecturen des Verfassers genauer begründet und erörtert werden."

Ex his igitur praeceptis cum eam retractarem et jam in eo essem, ut priorem ejus partem typis exprimendam curarem, liber in publicum prodiit, quem qui scripsit de Livio quantopere meritus sit, ut exponam, nec meum est nec hic utique locus. N. Madvigii emendationes Livianas me dicere neminem fugit. Ego vero quanto gaudio affectus sim, cum viderem, de compluribus locis quod recte intellexisse mihi videbar, etiam ab altero illo Gronovio — nam hoc nomine eum merito appellare mihi videor — propositum esse, verbis exprimere vix possum. Itaque quod impetrare a me non potui, ut locos illos omnino nunc silentio praetermitterem, sed graviores certe data occasione verbo indicavi, si qui erunt, qui aegre ferant, in hoc numero neque Madvigium fore confido, cujus de laude nihil me nec detrahere posse nec ei addere scio, nec reliquos viros doctos, qui quid de me judicent, mea interest; omnibus vero ut placerem, nunquam studui.

Ac nunc quidem quod, ex quo pueris excessi, omni tempore in summis optatis habueram, cum insperanti obtigerit et jam in eo sit, ut hos patriae relinquens campos ad claras Italiae volem urbes, jam mens praetrepidans avet vagari, jam laeti studio pedes vigescunt, nunc illud

restat, ut dulces sodalium coetus omnesque, qui de me bene meriti sunt, viros bonos valere jubeam. Prae omnibus vero Te, vir dilectissime, qui, ut has qualescunque plagulas nomen Tuum praefigerem, qua in me esse soles indulgentia permisisti, ut hoc ultimum alloquar, impellit animus. Tu ubi haec leges, me jam Alpium transcendisse nives et sub mitiore versari caelo spero: at ubicumque ero et quotiescunque patriae piae recordatio ac desiderium dulce subibit animum, nunquam Tui Tuorumque laetas imagines evolaturas esse, sed etiam arctioribus vinculis, siquidem id fieri potest, animum patriae solo adstricturas scio. Vale, vir carissime, vale!

Dabam Gottingae a. d. VIII Kal. Decemb. MDCCCLX.

Introductio.

T. Livius cum historiam imperii romani inde ab urbe condita ad suam usque aetatem ea, qua hoc munere functus est, ratione conscribendam susciperet, quam arduum opus quantique laboris aggressus esset, se minime fugisse, compluribus operis sui locis ipse indicavit. Cum enim et jam ante eum satis multi exstitissent, qui res romanas aut totas illas quidem, ceterum veterum annalium more jejuniore dicendi genere nude enumerarent potius quam describerent, aut carptim singulas quasdam earum partes fusius exponendas sibi sumerent, tamen, qui universas eas ita illustrandas sibi proponeret, ut antiquioribus litterarum monumentis perscrutatis, quae ad res populi romani rectius cognoscendas inde peti possent, uno opere comprehensa sub unum quasi conspectum daret, omnibus artis rhetoricae tum maxime florentis subsidiis adhibitis componeret, sermonis denique copia atque ubertate exponeret aequalium auribus ac judicio accommodata, ante Livium, quantum nunc scimus, nemo inventus est. Accessit ipsius scriptoris ingenium non solum summa patriae caritate inflammatum, sed etiam, id quod unius populi admirationi eum eximit nec magis ad populares ejus, quam ad nos omnesque, qui idem sentiunt pertinet, ingenuo quodam pulchri ac honesti sensu atque amore imbutum. Hoc igitur opere suscepto et, quod ad externam formam atque speciem attinet, etiam absoluto, quamvis et multa et gravia in eo reprehendi cum possint, tum debeant, quanta tamen ille populares suos et aequales et posteros perfuderit admiratione, ut ex ipsa re facile concludi potest, ita multis posteriorum scriptorum comprobatur testimoniis. Nec dubito

pronuntiare, non solum inter ea litterarum monumenta, quae ex Romanis fortuna nobis reliqua fecit, perpaucissima quasi notas ingenii vere romani prae se ferre ut historias Livii, sed in omni omnium temporum ac populorum litterarum historia perpaucos exstare, qui quidem ad rerum historiam pertineant, libros, quorum lectionem inter scriptoris populares latius patuisse dicendum sit; quo quem meliorem laborum suorum fructum scriptor aliquis exspectare potest? Ea ipsa autem, quam Livius inter populares suos excitavit, admiratio in causa fuit, cur, qui ad parem gloriam aspiraret, inter Romanos post eum exsisteret nemo. Horum enim quicunque postea ad res romanas litteris mandandas sese accinxerunt, ei nisi compendiorum finibus se continuerunt, aut prioribus temporibus praetermissis ad suae aetatis historiam se converterunt, aut quae a Livio fuse exposita erant, leviter tantum perstrinxerunt et ipsi ad ea, quae post Livium facta erant, properarunt, omnes autem de rebus antiquis ejus historias pro primario habuerunt fonte. Reformidantes scilicet laborem priores rerum auctores evolvere, quibus antiqui temporis memoria continebatur, monumenta propter sermonem absoletiorem ex parte ne facile quidem adeunda perscrutandi et Livii laudes superari non posse rati, ejus annales quasi pro thesauro quodam ducebant, unde prioribus historicis raro tantum inspectis plena manu promerent, deprompta nulla de veritate rerum dubitatione injecta in suos usus converterent. Quid? quod ita agendo multi ex posteris ne ingratum quidem fecisse videntur? Quum enim majorum ingentia facinora cognoscere cuperent, sed antiquiores illos historicos non magis quam Livii „immensa volumina“ perlegere vellent, medii consilii viam ingressos ad has qualescunque Livii epitomas confugisse et in harum lectione plerumque acquievisse inde concludere licet, quod non solum scriptorum Livio antiquiorum annales ad unum omnes perierunt — quo factum est, ut, quae ex historicis latinis de rebus romanis usque ad tertium fere bellum Punicum gestis novimus, ea fere omnia ad Livium auctorem referenda sint et Livio debeantur — sed etiam hujus historici reliquias tantum manibus tenemus, cum eorum libellorum, quibus quae continentur, inde hausta sunt, haud parvus etiam nunc exstet numerus.

At vero etiam in Graecis quique in provinciis graeca lingua utebantur, historiae Livii non solum lectitatae sunt, sed etiam studium

rerum romanarum accuratius cognoscendarum, quod quidem jam antea fuisse Polybius, Diodorus Siculus, Dionysius Halicarnassensis sunt testes, etiam magis excitaverunt atque aemulationem quandam accenderant. Id cum ex toto, qui tum erat, rerum graecarum statu suspicari licet, tum ipsa complurium historicorum graecorum, qui inde a tempore Livii per complura saecula in rebus romanis perscribendis operam collocaverunt quorumque aut scripta ad nostram usque aetatem duraverunt aut nomina nobis innotuerunt, libris confirmatur. Quanquam ne illud quidem quemquam effugere potest, alio modo hos in rebus romanis exponendis versatos esse atque scriptores romanos. Quod enim unius res imperii romani uno opere condendi inter Romanos ipse Livius optime absolvisse videbatur, idem in Graecis perficiendum restabat. Itaque horum qui id postea subierunt, et antiquissimas res etiam post Livium sibi retractandas esse fusiusque exponendas putaverunt. Deinde in eis potissimum historiae romanae partibus enarrandis, quibus continentur res non magis romanae, quam civitatum graecarum cum illis artissime conjunctae, inde a fine belli Punici secundi, quas quidem a Livio quarta et quinta decade expositas posteriores historici romani tanquam minus ad se pertinentes levius perstrinxerunt, historici graeci multi fuerunt. Quod vero etiam magis ad nos hoc loco pertinet, in auctoribus quoque, quos sequerentur, eligendis eidem a Romanis recesserunt. Hi enim cum fere unius Livii vestigiis insisterent, primum illud facile intelligitur, historicos graecos linguae latinae ex parte ne satis quidem peritos in omnibus eis historiae romanae partibus, quae sermone graeco narratae exstabant, qui graece scripsere auctores sequi maluisse, quam Livium, idque tum maxime eos fecisse facile oritur conjectura, ubi eosdem auctores, sive illi e Graecis oriundi fuerunt, sive Romani graeca tamen lingua usi erant, et ipsum Livium secutum esse apparebat. Atque hunc quidem per primam et alteram potissimum nec non tertiam decadem Q. Fabii Pictoris annales pro primaria fonte habuisse nunc constat (v. F. Lachmann de fontib. histor. T. Livii comm. I cap. I § 16 comm. II c. 1 § 1, L. Kieserling, de rer. rom. scriptorr., quibus T. Livius usus est p. 7 seqq.), jam vero eosdem scimus graeco sermone compositos fuisse (Dionys. Hal. A. R. I. 6); nonne igitur verisimilius est, historicos graecos in eisdem rebus, quas Livius ex Fabio hauserat, referendis occupatos hunc

quam illum secutos esse? Atquin idem valet de L. Cincio Alimento (Lachmann comm. I cap. 1 § 17 comm. II c. 1 § 8. Kiesserling l. l. p. 18. Dionys. Hal. I. 1.) C. Acilio (Lachm. II c. 1 § 14. Kiesserling p. 29), maxime vero de Polybio, quem Livius in quarta et quinta decade expressit (v. Lachmann comm. II c. 1 § 5. 8. Kiesserling p. 52. L. Tillemann, disputationis, qua ratione Livius Polybii historiis usus sit, part. I. Bonnae 1860). Accedunt alii, quorum historias graece compositas Livius ob quaslcunque causas non adhibuerat, adhibuerunt, qui post eum Graeci res romanas condiderunt, velut Diocles Peparethius (Plut. Rom. c. III. VIII), Dionysius Halicarnassensis (Plut. Rom. c. XVI. Sync. Alcib. et Cor. c. II.) alii. Hinc igitur factum est, ut Plutarchus in vitis Romuli, Numae, Publicolae, Coriolani Livii ne mentionem quidem faciat, Appianus quae de bellis Punicis exponit, ex ipso Fabio (v. Han. c. XXVII. Niebuhr Vorl. ed. Isler I p. 20. II p. 61), quae de rebus Syriacis et Macedonicis, ex Polybio (ibid. II p. 239), quam ex sectatore eorum Livio haurire mallet. Denique vero etiam ii qui ex historicis graecis sermonis latini satis periti erant, ut a lectione scriptorum latinorum non abhorrerent, tamen, cum nec tanto Livii admiratione occaecati essent, quin de multis rebus rectius atque ab illo factum esset, antiquioribus rerum monumentis pervestigatis statuere posse sibi viderentur et ob eo formo, in quam Livius historiam romanam redegerat, discedere auderent, nec ad hujus libros facilior eis aditus pateret, quam ad antiquiores historicos latinos, etiam hos curiose adhibuerunt. Accedit, quod Livius, quamquam ipse litteris graecis imbutus erat, quod praeterquam quod auctoribus graecis usus est, multi sunt loci qui demonstrant (v. lib. XXVI 22. et V. 4. 4. Plat. Phaed. c. 3. lib. IX. 17. 6. V. 2. 3. Soph. Aj. 665. lib. V. 4. 11. IX. 18. 6. al.) et de litteris eos optime meritos esse praedicat (v. lib. XXXIX. 8. 3, ubi eam eruditissimam omnium gentium appellat) tamen in historiis suis Graecis sui temporis minime favet, immo satis graviter et acerbe eos perstringit (cf. lib. VIII. 22. 8. XXXI. 44. 3. quaeq. ibi Weissenb. adnotavit). Itaque Valerii Antiatis (Plut. Rom. c. XIV. Num. c. XXII. et saepe. Cf. Kiessling de Dionysii Hal. antiquitatum auct. lat. p. 24), Calpurnii Pisonis (Plut. Num. c. XXI. al.), Catonis (Plut. Cat. c. VIII), Cassii Heminae (App. Celt. c. VI), Sempronii Tuditani (Plut. Flam. c. XIV),

aliorum nomina, quorum in historicis recentioribus latinis ne vestigium quidem invenias, in graecis passim occurrunt. Hoc denique explicandum est, quod, qui Livium in eis operis ejus partibus, quae hodie extant — nam de recentioribus temporibus paulo aliter res se habet — primarium ducem secutus esset, historicum graecum novimus neminem. Qua re quamquam efficitur, ut ad nos hoc loco minus inde fructus redundet, tamen quam magni eidem faciendi essent omnibus, quibus res romanas cognovisse cordi esset, eos, qui nostris temporibus eas exponere studuerunt, ut par erat, minime fugit.

Atque haec quidem cum in universum disputata sunt, tum aut ab aliis jam indicata (cf. Niebuhr Vorles. ed. Isler I. p. 58 seq.) aut ea, quae ex rei natura facile concludi possent. Jam vero cum amplissimus philosophorum in academia Goettingensi ordo postulaverit, „ut, qua ratione singuli historici et graeci et latini T. Livii annalibus usi sint, accurate describatur, et quid inde in Livii textu quem dicunt constituendo repeti possit, dilucide exponatur diligentique singulorum locorum tractatione quam uberrime illustretur“, hujus quaestionis solvendae periculum facere ausus, antequam ad ipsam rem aggrediar, quibus finibus me continuerim quibusque subsidiis uti mihi licuerit, breviter expositurus sum. Ac primum quidem quod ad temporis spatium attinet, me ultra quintum p. Ch. n. saeculum non progressum esse, vix opus est, ut commemorem. Deinde vero eorum historicorum, qui intra haec quinque saecula vixere, de eis tantum egi, qui in eorundem temporum rebus enarrandis atque Livius versantur. Primum igitur eos historicos latinos praetermisi, qui in aliarum rerum relatione occupati genus tamen dicendi atque externam orationis formam, qua Livius usus est, imitati sunt. Videbatur mihi enim haec quaestio, quippe quae non de rebus, sed de sermone esset, et ob id ipsum non magis ad historicos, quam ad omnes scriptores prosarios Livio recentiores pertineret, parum cum nostro proposito cohaerere, simul vero latius patere, quam quae in transcursu transigi posset. Historicorum omnium maxime huc pertinet Q. Curtius Rufus, qui cum tempore Claudii Caesaris res gestas Alexandri perscriberet, non solum in universum sermonem Livii imitandum sibi proposuit (cf. Mützell praef. ad ed. Curt. p. XXXVI quosque ille ibi citat) nec solum singulas quasdam sententias ex Livii historiis leviter mutatas trans-

scribere non dubitavit, sed etiam ubicunque inter ea, quae ipse narrabat, et aliquem in libris Livii locum similitudo quaedam intercedere ei videbatur, suam narrationem ad Livianae similitudinem prope accommodavit. Pauca hujus rei exempla infra (cap. II § 3), posui et, quid inde capi possit ad artem criticam in utroque scriptore exercendam demonstrare studui. Nec tamen hoc loco suspicionem silentio premam, quae mihi identidem orta est. Videtur mihi enim Curtius, ut res gestas Alexandri perscriberet, quam rem fuerunt, qui mirarentur (v. Niebuhr kl. hist. u. philol. Schrift. vol. I. p. 305 seqq.), eo adductus esse, quod Livius, quem ex temporis ratione ille etiam ipse valuisse poterat, lib. IX. 17 seqq. disputaverat. Attamen hoc in transcursu positum pro incerto dictum esse velim. Redeo eo unde deflexi.

Facile enim intelligitur, etiam eos historicos, qui res imperatorum exposuerunt, non tamen alterive loco, ut res ferebat, ad Livii historias respexisse. Unum adscribo exemplum. Velut si contuleris ea, quae scripsit Tacitus hist. III. 72. „Voverat (templum Capitolinum) Tarquinius rex bello Sabino jeceratque fundamenta spe magis futurae magnitudinis, quam quo modicae adhuc populi romani res sufficerent" cum eis, quae exstant Liv. I. 38. 7. „(Tarquinius Priscus) aream ad aedem in Capitolio Jovis, quam voverat bello Sabino, jam praesagiente animo futuram olim amplitudinem loci, occupat fundamentis," non immerito suspiceris, Tacito, cum illa scriberet, menti obversata esse haec Livii verba. His tamen locis, qui ne sunt quidem multi, colligendis eo magis supersedere me posse putavi, quo minus inde emolumenti redundare videbatur ad Livii verba emendanda. Itaque Tacitum, Suetonium, Ammianum Marcellinum, scriptores rei Augustae nec minus graecos qui huc pertinent, historicos a proposito meo exclusi. Praeterea praetermisi Julium Obsequentem, qui dicitur, quia, quaenam ratio inter eum et Livium intercedat, et satis in aperto posita est, neque ullo tempore viros doctos, qui in hujus verbis emendandis operam collocaverunt, fugit. Neque magis ob eandem causam peculiariter egi de strategematis Frontini. Horum enim eam nullaudum, quod valde dolendum est, prodierit editio, qua, quid singulis quibusque locis ab ipso, qui ea composuit, scriptum esse putandum sit, doceamur, quae, ut nunc res se habet, ad Livii textum constituendum inde peti possent ea pleraque omnia jam ab aliis praecepta esse intellexi. Velut

quae Liv. III. 70. 10. in omnibus codd. perperam scripta exstant „accepta signa a signiferis,“ ea ex Front. Strat. II. 8. 2. recte in „arrepta e. o. s.“ mutanda esse censuit Dukerus, quem secutus est Weissenbornius. (Codicum lectionem retinuit Hertzius.) Contra ea Liv. XXIII. 19. 14. quam Vossius et Madvigius delendam esse censuerant vocem *hostes*, cum allato eo Frontini loco, ubi ille Livii expressit (Strat. III. 15. 2), recte defendit Weissenbornius (cui Madvigius nunc adsentitur v. Emendationes Livianae p. 265. not. 1.). Ab eodem vero Weissenbornio Liv. XXXV. 11. 11. quam certissimam proposuit Oudendorpius emendationem et ipsam ex Front. I. 5. 16. petitam, ut pro „inter medias stationes hostium“ scriberetur „per intermissas stationes hostium“ in ordinem verborum non receptam esse, valde miror, cum illo loco non solum sententia eandem coarguat — ob id ipsum enim equites Numidae hostibus spectaculo fuere, ut a stationibus eos distraherent. cf. § 9. — sed etiam quae in optimis codd. scripta exstant, dubitationem moveant („intermedias stationes h.“ Mog. „per medias stationes“ omissa voce *hostium*, quam et ipsam Frontinus tuetur, Bamb.) Neque magis dubito, quin Liv. XXII. 38. 4. Frontinus (v. Strat. IV. 1. 4.) haec verba „sumendi aut“ quorum nemodum probabilem explicationem suppeditavit, non legerit. Atque haec quidem de Frontino sufficiant. Denique illud addo me de eis tantum operis Liviani partibus egisse, quae ipsae integrae hodie exstant. Eadem enim quaestio de reliquis voluminibus nunc deperditis instituta quamquam fructu utique non careret, tamen cum ad rem ortiesam inde nihil redundaret, hoc loco eam omisi.

Restat, ut de subsidiis quibus uti mihi licuerit, pauca dicam. Ac primo loco nominandi mihi sunt veteres Livii editores commentatoresque, quorum Sigonius potissimum atque Dukerus saepe eos historicos, qui Livium expresserunt, ad ejus verba aut explicanda aut emendanda adhibuerunt. Ceterum quamquam illi ad singulos locos multa sane congesserunt, tamen cum id magis data occasione quam certo quodam consilio certaque ratione fecerint et ob id ipsum saepe externa quadam specie falsi sint, commentariis eorum minus quam aliquis expectet, adjutus sum. Quo magis mihi laudandus est, qui novissime Livium majore saltem, ut nunc res se habet, ex parte commentariis instruxit, W. Weissenbornius. Is enim per totam eorum perpetuitatem posteriorum historicorum testi-

monia diligenter et certo consilio collegit, adscripsit, quid inde peti posset, cogitavit. Pauca suppeditaverunt reliquorum scriptorum editiones praeter unam Valerii Maximi, quae debetur K. Kempfio. Is et in praefatione et in commentariis, qua ratione Valerius Livium expressisset, adumbravit. Denique omnia ea, quae in peculiaribus libellis per varias occasiones de singulorum scriptorum auctoribus editis de Livio exposita sunt, quoad copia eorum mihi suppetebat, ut par erat, in usus meos converti. Sed horum peculiarem mentionem faciam ubi de singulis scriptoribus exponam.

Cap. I

Historici latini atque graeci qua ratione T. Livi annalibus usi sint, describitur.

§ 1
Trogus Pompejus. Vellejus Paterculus.

Trogo Pompejo historias Philippicas conscribenti num totum Livi opus ad manus fuerit, cum novissimos ejus libros inde a lib CXXI post annum p Ch n XIV editos esse compertum habeamus (v titulum periochae libri CXXI, ed Jahn p 102 18), Trogi historiis jam Valerius Maximus usus esse videatur (v Kempf praef ad Val Max p 7 et 21) neque vero verisimile sit, totum opus, quantum Trogi fuisse putandum est, intra paucorum annorum spatium confectum esse, dubitari potest. Attamen de ea re utut statuendum est, ea parte certe eum Livi annales nosse ea sunt argumento, quae Justinus historiarum ejus epitomae lib XXXVIII 3 11 tradit, reprehendisse Trogum Sallustium et Livium, quod contiones directas pro sua oratione operi suo inserendo historiae modum excessissent. Num autem et quomodo Trogus eis usus sit, hodie cum opus ejus non noverimus nisi in brevissimam epitomam coartatum, difficile est dijudicatu. Heerenius quidem, qui de fontibus Trogi in comment. soc. Gotting vol XV p 185 seqq exposuit, Livium inter auctores ejus non retulit. Ac quod ad priores libros attinet, id sine dubio recte statutum est, in quibus ubicunque Trogus cum Livio consentit, velut plerumque in lib XXX XXXII XXXIII, quibus res a Romanis in Graecia et Asia gestas exponuntur, id inde explicatur, quod uterque Polybium auctorem exprimit. Compluribus rebus Trogus a Livio recedit in eis, quae de rebus gestis et morte Alexandri Epirotae narrat,

v. Justin. XII 2 et Liv. VIII 24. At dubitari potest de eis quae lib. XLIII cap. 2 de primordiis urbis Romae exponuntur. Cum enim in iis quae primo hujus libri capite de antiquissimo Italiae statu et de rebus gestis Aeneae narrantur, Trogum passim a Livio dissentire negari non possit, quae deinde scripta sunt de origine Romuli et Remi quaeque eam secutae sunt rebus, mire conspirant cum eis, quae de iisdem rebus Livius scripsit, eo modo quae ab ipso initio cap. II leguntur. „Sed Amulius cum et *aetate potiorem* Numitorem oppressisset, filiam ejus Ream *in perpetuam virginitatem*, nequis vindex regni virilis sexus ex gente Numitoris nasceretur, damnavit, addita injuriae *specie honoris*, ut non damnata, sed sacerdos electa videretur." et Liv. I. 3. 10. „Plus tamen vis *potuit*, quam voluntas patris aut *verecundia aetatis*. Pulso fratre Amulius regnat. Addit sceleri scelus: stirpem fratris virilem interimit, fratris filiae Reae Silviae *per speciem honoris* cum Vestalem eam legisset, *perpetua virginitate* spem partus adimit." Neque tamen silentio praetermittam a Livio non commemorari ea, quae Trogus §. 4 et 7 tradidisse dicitur, Ream in luco Martis (*ἐν Ἄρεως ἄλσει* Cass. Dio fr. 13 ed. Bekk.) geminum partum enixam esse, et postea ex vinculorum injuria decessisse. Quare si quis statuerit, Trogum quae de origine urbis Romae tradidit, ex eodem aut simili atque Livium fonte deprompsisse, equidem non contradicam, sive ille Fabius Pictor fuit, quem Livium in primis duobus libris adprime secutum esse maxime probabile est, v. Lachmann comm. I p. 45, sive ut Heerenius l. c. p. 214 voluit, Diocles Peparethius, cujus ex auctoritate Fabium in plerisque pependisse Plutarchus Rom. c. 3 tradit (sed v. quae disputavit de ea re Niebuhrius H. R. I p. 235). Quamquam mihi quidem verisimilius esse videtur, Trogi, cum illa scriberet, menti relationem Livii, quam eum nosse certum est, obversatam esse eumque, quae de Rea tradit, aliunde asciuisse. Sermonem denique Trogi, sive is est Justini, colorem quendam Livianum duxisse, quod ferunt, qui vellent, (cf. Bernhardy, Rom. LG. ed. III p. 613) nondum mihi persuasi.

Transeo ad Vellejum Paterculum, quem sub annum p. Ch. n. 30 duos historiarum libros scripsisse eo ducemur, quod ad consulem hujus anni M. Vinicium eos misit. Quod igitur jam ex ratione temporis concludi potest, eum Livii historias legisse, idem ipse duobus locis testatur, lib. I. 17. 2, ubi priorum historicorum aetati eum adstruit, et II 37. 5

ubi eum inter mortuos referens, Sallustium consecutum esse praedicat. Cum vero etiam hujus scriptoris reliquiae tantum aetatem tulerint, quae huc loco sola in censum veniunt, sunt ea, quae lib 1 cap. 9 et 10 de rebus gestis Lucii Aemilii Pauli narrantur Nam Vellejum in eis, quae ejusdem libri cap 14 et 15 de coloniis post Romam a Gallis incensam jussu senatus deductis exposuit, fere nusquam cum Livio consentire, jam ab aliis indicatum est. (v. H Sauppe in Schweitzer Museum für hist. Wissensch. I p 147 seqq.) At idem in eis, quae de Aemilio Paulo l. c scripsit, non solum de rebus eum Livii consuluit, si illud unum exceperis quod c. 9. 3 Aemilium ante triumphum macedonicum bis triumphasse refert, cum Livius unius triumphi mentionem faciat (v. Liv. XL 34 XLV 39 et interprett. ad [Aurel. Vict.] de vir ill. c LVI 1), sed passim etiam ad verborum Livii similitudinem accedit, cf c 9. 6. et Liv XLV 35 5. et de summa pecuniae captae Liv XLV 40 1, quamquam de hoc loco, cum in codd Livii lacunosus exstet, nihil certi dici potest. Narratiunculam, quae est de constantia Popillii Laenatis, a Vellejo ab initio cap 2 popositam ex periocha libri XLV Livii coloratam duxisse, suspicatur E. de Leutschius (v exercitt. critt. spec 1 p 6.) Nec minus de eis, quae deinceps per idem caput exponuntur, inter Vellejum et Livium convenit, cf potissimum Vellej §. 6, et Liv XLV 27 2, qui Valerium Antiatem sequitur. Haec igitur omnia ex Livio deprompta esse quamquam pro certo affirmari nequit, a verisimilitudine tamen non abhorret.

Atque in his quidem, quamvis pauca sint et ne ea quidem certa, de Trogo Pompejo et Vellejo Paterculo, qui primi Livium historici latini exceperunt, ut nunc res comparata est, acquiescendum est

§ 2.
Valerius Maximus.

Valerius Maximus, qui eodem fere tempore, quo Vellejus historiam romanam in publicum edidit, intra annum p Ch. n 28 – 32, quod nomine ejus inscriptum est opus factorum dictorumque librorum IX confecisse videtur (v Kempf proleg ad Val M p 7), quamquam non loco se Livium auctorem secutum esse diserte indicat (lib. 1 8 ext. 19 cf Liv per XVIII), tamen quin permulta ex historiis ejus hauserit, nemo est

hodie inter viros doctos qui dubitet. (v. Kempf l. l. p. 15 seqq.) Itaque si statim ad alteram transgredimur quaestionem, quas nam potissimum res ex eis excerpserit, etiam de hac re ut non dubitemus, ipse, qui libro ejus inscriptus est titulus, efficit. Voluit enim ille singulas vitae humanae partes persequens singularum quaedam vitiorum atque virtutum nec non antiquorum morum atque institutorum exempla, quae praecipue aut laude aut vituperatione digna essent, ex historia urbis romanae exterarumque gentium collecta ita uno opere comprehendere, ut, qui declamationibus et disputationibus operam darent, exempla, documenta, testimonia, quae illis insererent, sine longas disquisitionis labore inde depromere possent (v. Val. M. praef. 1. lib. VI. 2. 1. VIII. 14. praef. IX. 11. 1. Kempf. l. l. p. 8 et 12.) Sunt igitur singula insigniter aut dicta aut facta a media rerum mole arrepta atque ex notionibus modo a me indicatis digesta, quae etiam ex Livii annalibus Valerius desumpsit.

Eos enim pro primaria fonte habuit, unde, quae ad antiquissima populi romani tempora spectarent, hauriret, ita, ut, num eorum praeter Livium et Ciceronem, cujus libris et ipsis strenue usus est (cf. Kempf l. l. p. 13.), alios adhibuerit auctores, dubitari possit. Hinc jam sequitur, ex prioribus potissimum decadibus plena manu eum hausisse. Cum enim primae et tertiae decadis — nam de altera conjecturam tantum capere possumus, quamquam etiam hanc ei multa suppeditasse pericohae docent, — nullus sit liber, ex quo non complura deprompsit, cum idem ex uno primo XVIII, (Liv. I. 7. Val. I. 4. 1. Liv. I. 10. Val. III. 2. 3. Liv. I. 11. Val. IX. 6. 1. Liv. I. 16. Val. V. 3. 1. Liv. I. 13. Val. I. 2. 1. Liv. I. 26. Val. VI. 3. 6. VIII. 1. 1. Liv. I. 27. Val. VII. 4. 1. Liv. I. 31. Val. IX. 12. 1. Liv. I. 34. Val. III. 4. 2. Liv. I. 36. Val. I. 4. 1. Liv. I. 39. Val. III. 4. 2. I. 6. 1. Liv. I. 45. Val. VII. 3. 1. Liv. I. 48. Val. IX. 11. 1. Liv. I. 54. Val. VII. 4. 2. Liv. I. 56. Val. VII. 3. 2. Liv. I. 58. Val. VI. 1. 1.) ex secundo XXI (Liv. II. 5. Val. V. 8. 1. Liv. II. 6. Val. V. 6. 1. Liv. II. 7. Val. I. 8. 5. IV. 1. 1. Liv. II. 8. Val. V. 10. 1. Liv. II. 10. Val. III. 2. 1. Liv. II. 12. Val. III. 3. 1. Liv. II. 13. Val. III. 2. 2. Liv. II. 16. Val. IV. 4. 1. Liv. II. 27. Val. IX. 3. 6. Liv. II. 32. Val. VIII. 9. 1. Liv. II. 33. Val. IV. 4. 2. Liv. II. 36. Val. I. 7. 4. Liv. II. 37. Val. VII. 3. ext. 10. Liv. II. 40. Val. V. 2. 1. V. 4. 1. Liv. II. 41. Val. V. 8. 2. VI. 3. 1. Liv. II. 43.

Vol. IX 3 5. Liv. II 47. Val. V 3. 2. Liv. II 38 39. Val. IX 3 5.) ex libro vicesimo altero XIII exempla duxerit, (Liv. XXII 1. Val. I 6 5. Liv. XXII 3. Val. I 6 6. Liv. XXII 9. Val. IX 12 2. Liv. XXII 23. Val. IV 8 1. VI 8 2. Liv. XXII 25. Val. III 4 4. III 8 2. Liv. XXII 37. Val. IV 8 ext. 1. Liv. XXII 46. Val. VII 4 ext. 2. Liv. XXII 51. Val. III 2 11. Liv. XXII 52. Val. IV 8 2. Liv. XXII 56. Val. I 1. 15.) libros XXXI XXXII XXXV XXXVI XLIV prorsus intactos reliquit, ex reliquis prae prioribus pauca sumpsit (ex lib. XXX. VII exempla, ex lib. XXXIII III, ex lib. XXXIV III, totidem ex lib. XXXVII, ex lib. XXXVIII VII, ex lib. XXXIX. III, ex lib. XL IV, ex lib. XLI III, ex lib. XLII II, ex lib. XLIII. I, ex lib. XLV. V.) Hujus rei duae sunt causae, quarum altera posita est in argumentis illorum librorum, qui, ut facile intelligitur, insignitae factorum majorem praebent copiam quam qui secuntur, altera eo continetur, quod recentiorum temporum Valerius etiam alios praeter Livium adhibuit auctores. Quamquam igitur etiam ex eis libris, qui nunc deperditi sunt, nonnulla eum hausisse et per se suspicari licet, et compluribus locis etiam comparatione eorum, quae a Valerio narrantur, cum eis, quae aut periochis continentur, aut a Julio Obsequente excerpta sunt, instituta demonstratur (cf. per. XLVI. et Val. V. 1. 1. per. XLVIII. et Val. II 4. 2. III. 2. 6. per. L. et Val. I. 8. ext. 12. per. LI. et Val. III. 2. ext. 8. per. LV. et Val. I. 6. 7. Jul. Obseq. 124—127 et Val. I. 6. 11—13.), tamen hi quoque prioribus rarius in usum vocati esse existimandi sunt.

Proprio judicio in eligendis eis, quae proponeret, Valerius non usus est. Qui dum exempla quam illustrissima aucupatur, utrum vera sint, quae tradat, an de eadem re extet sententia verisimilior, parum curat. Velut verissime judicavit Livius (IV. 29. 5.) fabulam esse ad similitudinem saevi illius L. Manlii Imperiosi facinoris effictam, quod ab historicis nonnullis A. Postumium consulem bello contra Volscos gesto filium suum, quod occasione bene pugnandi captus praesidio decessisset, securi percussisse narratum esset; Valerius eandem rem pro exemplo disciplinae militaris proponit lib. II. 7. 6. Livius ubi, cur L. Quinctius Flamininus a M. Porcio et L. Valerio censoribus senatu motus sit, exponit (lib. XXXIX. 42.), duas de ea re proponit sententias, alteram ex ipsius Catonis oratione de ea re habita repetitam, quam nunc veram

esse dicit, alteram a Valerio Antiate prolatam, quem ob id ipsum graviter reprehendit, quod, tanquam orationem Catonis non legisset, fabulae sine auctore editae crediderit. Valerius, qui, quae de eadem re narrat (II 9. 3), ex Livio hausit, tacite ea peregit, quae a Valerio Antiate falsa scripta esse recte Livius adserit. Quid, quod idem diversis locis diversas sententias a Livio de eadem re ita propositas, ut alteram verisimiliorem esse dicat, nulla de ea re neque mentione neque dubitatione rejecta sequitur? Velut Livius ubi de morte Sp. Cassii agit, alios auctores tradidisse scribit, eum a patre cognita domi causa necatum esse, alios populi judicio damnatum, hanc sententiam fidei propiorem esse (Liv. II 41 sqq.), Valerius hanc exprimit lib. VI 3. 1, illam V. 8. 2.

Ex hac autem judicii perversitate, qua Valerium in eligendis, quae exponeret, rebus versatum esse exempla allata doceant, jam suspicari licet, qua fide et diligentia eas reddiderit. Sed de ea re priusquam pluribus agatur, satius esse videtur, ordinem ita interrumpere, ut antea, quatenus externam orationis formam, qua Livius usus est, aut mutaverit, aut retinuerit, paucis describatur. Qua quidem de re ut brevior esse possim, magna efficit ejus levitas, qua non dubitavit, ipsa plerumque, quae ille posuit, verba leviter tantum mutata transscribere. Id quam vere a me dictum sit, ut intelligatur, pauca adscribo exempla. Livius lib. V 46. 2. de C. Fabio Dorsuone haec scripsit:

„Sacrificium erat statum in Quirinali colle genti Fabiae. Ad id faciendum C. Fabius Dorsuo Gabino cinctu sacra manibus gerens cum de Capitolio descendisset, per medias hostium stationes egressus nihil ad vocem cujusquam terroremve motus in Quirinalem collem pervenit, ibique omnibus sollemniter peractis eadem revertens similiter constanti vultu graduque satis sperans, propitios esse deos, quorum cultum ne mortis quidem metu prohibitus deseruisset, in Capitolium ad suos rediit, seu attonitis Gallis miraculo audaciae, seu religione etiam motis, cujus haudquaquam neglegens gens est.“

Haec Valerius I. 1. 11 ita expressit:

„Eadem reipublicae tempestate C. Fabio Dorsoo memorabile exemplum servatae religionis dedit. Namque Gallis Capitolium obsidentibus ne statum Fabiae gentis sacrificium interrumperetur, Gabino ritu cinctus manibus umerisque sacra gerens per medias hostium stationes in Quiri-

nalem collem pervenit, ubi omnibus sollemni more peractis in Capitolium propter divinam venerationem victricium armorum periude ac victor rediit."

Vix opus est, ut quidquam addam, adeo res in aperto sita est. Facile vero intelligitur, haec a Valerio non ita scripta esse posse, ut, quae aliquando in Livii historiis legisset, in memoriam sibi revocaret suisque ipsius verbis redderet, sed necessario eum oculis ipsis Livii verbis inhaerentibus ea transscripsisse. Qua re quantum de laude Valerii, si modo ulla est ejus laus, detrahitur, tantum auctoritatis verbis ejus additur eis, qui iidem, quid ille in suo historiarum Livii exemplari legerit, eliccre student. De suo fere nihil addidit praeter illam quasi titulum initio praefixum: „Eadem rei p. tempestate — obsidentibus" quales quidem titulos eis, quae ex aliis auctoribus sumpsit, fere addere solet, quibus lectorem de tempore atque occasione, qua ea, quae deinceps narraturus est, facta sint, certiorem facit. Ceterum hoc ipso munere quanta cum levitate atque negligentia plerumque perfunctus sit, infra videbimus. In eis quae post titulum secuntur, cur cum in reliquis ipsa Livii verba retinuerit, alia tamen omiserit, pauca addiderit, difficile est dictu. Velut ex Valerii verbis unde factum sit, ut Fabius in Quirinalem patentinum collem perveniret, non intelligitur; indicavit ejusdem rei causam Livius cum haec scriberet: „sacrificium erat statum in *Quirinali colle* genti Fabiae," ubi verba quae sunt in *Quirinali colle* ad intelligenda ea quae secuntur, necessaria a Valerio tamen temere omissa sunt. Eodem brevitatis studio Valerius et in eis quae hoc loco secuntur, et alibi, ubi Livium expressit, haud raro complura omisit, ita ut, ubicunque hodie in Livii codicibus quaedam exstant, quibus Valerii carent, hunc ea in suo Livii exemplari non legisse eaque Livio abjudicanda esse colligi nequeat. Deinde Livius cum haec scriberet, „C. Fabius gabino cinctu sacra manibus gerens" sine dubio rem optime explesse sibi visus est, Valerius qui ea ipsa Livii verba transscribere non aspernatus est, post *manibus* tamen addidit *umerisque*, quod cur fecerit, non magis liquet, quam cur illa omiserit. Attamen etiam hoc saepius ab eo factum est, ut inter media Livii verba, ita ut ejus rei idonea causa non appareat, de suo quaedam immisceret. Quae denique Livius sub finem scripsit, ea a Valerio in brevius redacta sunt. Alterum addo exemplum

ex tertia Livii decade (v. XXVII c. 40. 8 sqq.) desumptum, ubi haec exstant: „Memoriae proditum est, plenum adhuc irae in cives M. Valerium ad bellum proficiscentem monenti Q. Fabio, ne, priusquam genus hostium cognosset, temere manum consereret, respondisse, ubi primum hostium agmen conspexisset, pugnaturum. Cum quaereretur, quaenam causa festinandi esset, „aut ex hoste egregiam gloriam, inquit, aut ex civibus victis gaudium meritum certe etsi non honestum capiam."

Haec Valerius lib. IX. 3. 4. in hunc modum reddidit:

„Cum adversus Hasdrubalem Livius Salinator bellum gesturus egrederetur, monente Fabio Maximo, ne ante descenderet in aciem, quam hostium vires animumque cognosset, primam occasionem non omissurum se respondit, interrogatusque ab eodem, quid ita tam festinanter manum conserere vellet, ut quam celerrime, inquit, aut gloriam ex hostibus victis, aut ex civibus prostratis gaudium capiam. Ira tunc atque virtus sermonem ejus inter se diviserunt, illa injustae damnationis memor, haec triumphi gloriae intenta. Sed nescio an ejusdem fuerit, haec dicere et sic vincere."

Quod quidem exemplum duabus potissimum de causis proposui. Primum enim eo docemur non ubique Valerium tam tenacem fuisse verborum Livii, quamquam etiam hoc loco, ex iis potissimum, quae uterque scriptor Salinatorem dicentem facit, quae inter eos intercedat ratio, agnoscitur. Ubicunque enim Livius aliquem loquentem introducit, Valerius haec verba aut prorsus non aut levissime mutata reddere solet, cf. Liv. VIII. 6. 10. „ex una acie imperatorem, ex altera exercitum diis manibus matrique Terrae deberi." Val. M. I. 7. 3. „ex altera acie imperatorem, ex altera exercitum diis manibus matrique Terrae deberi." Liv. VIII. 21. 2. „eum, inquit, quam merentur, qui se libertate dignos censent." Val. M. VI. 2. 1. „quam merentur, qui se libertate dignos judicant." Liv. ibid. § 4. „si bonam dederitis, inquit, et fidam et perpetuam, si malam, haud diuturnam. Val. M. si bonam dederitis, inquit, perpetuam, si malam, non diuturnam." Liv. XXVI. 15. 2. „me quoque inquit, jube occidi, ut gloriari possis, multo fortiorem quam ipse es virum a te occisum esse", Val. M. III. 2. ext. 1. „ut gloriari possis, fortiorem aliquando virum, quam ipse es, tuo jussu esse interemptum." Liv. XLV. 12. 5. „priusquam hoc circulo excedas, inquit, redde responsum, senatui quod referam", Val. M. VI. 4. 3. „Prius, inquit, quam hoc circulo excedas, da responsum,

quod senatui referam. Et vero loci, ubi dubitari possit, utrum Valerius Livium an alium auctorem secutus sit, sunt perpauci. Velut non ex Livio videntur hausta esse, quae narrat Valerius IX. 11. ext. 1. v. Liv. XXVIII. 21. 6. sqq. Praeterquam enim quod inter verba utriusque scriptoris nulla intercedit similitudo, compluribus de rebus etiam inter eos discrepat. Quos enim Livius patrueles fratres fuisse tradit, Corbim et Orsuam, eos fratres fuisse Valerius refert; hic eum majorem Scipioni, ut verbis quam armis de regno dijudicari malluit, monenti obtemperasse tradat, ille ambo id fieri posse negasse scribit. Liv. l. c. § 9. autem, ut hoc breviter adnotem, de quibus verbis editores dubitaverunt, „robore major, minor flore aetatis ferox,“ quia infra major usu armorum et astu facile stolidas vires minoris superasse dicitur, ea rectissime se habere videtur, modo „robore“ non per se dictum esse putes, sed *aetatis* eodem modo cum *robore* atque cum *flore* conjungas. Huic explicationi ob grammaticas rationes nihil obstare, non est quod dicam, saepe autem et a Livio et ab aliis scriptoribus flos et robor aetatis sic componuntur, cf. Liv. VIII. 8. 6. „Haec prima frons (hastatorum) in acie florem juvenum pubescentium ad militiam habebat. Robustior inde aetas totidem manipulorum, quibus principibus est nomen, hos sequebantur.“ Liv. XL. 6. 4. „latera regis duo filii juvenes cingebant, Perseus jam tricesimum annum agens, Demetrius quinquennio minor, medio juventae robore ille, hic flore. Cic. or. 34. cum in Italiae luce cognoscerer versarerque in optimorum civium vel flore vel robore.“ Bene autem videtur flori aetatis convenire stolida virium ferocitas, cum robustiore aetate a Livio conjunctus cogitari major usus. Quae explicatio nisi suppeteret, haud scio an haud nimis audacter pro „robore major“ reponi posset „armorum arte major.“ (Quae Weissenbornius ad hunc locum adnotavit, ea me non intelligere libere confiteor.)

Sed redeo ad eum Valerii locum, unde oratio deflexit. Quem cum ob duas causas adscripsisse me dixerim, altera haec est. Ut enim Valerius priore illo loco verbis Livii praemisit titulum ab ipso confectum, ita hoc loco subjecit quasi epilogum quendam („Ira tunc — vicerre“), quo, quomodo ea, quae modo narravit, ad capitis, cui inserta sunt, argumentum pertineant, rhetorice explicatur. Atque etiam hi epilogi cum pariter ac tituli illi fere additi esse soleant, hae duae partes ab ipso

Valerio perfectae curiose secernendae sunt ab eis, quae a Livio accepit.

Quod deinceps addo exemplum simul transitum parabit ad aliam quaestionem. Valerius in eo capite, quod inscriptum est „de religione“, inter alia haec scripsit (lib. I. 1. 12):

„Magna conservandae religionis etiam P. Cornelio, Baebio Tamphilo consulibus apud majores nostros acta cura est. Si quidem in agro L. Petili scribae sub Janiculo cultoribus terram altius versantibus, duabus arcis lapideis repertis, quarum in altera scriptura indicabat corpus Numae Pompili fuisse, in altera libri reconditi erant latini septem de jure pontificum totidemque graeci de disciplina sapientiae, latinos magna diligentia adservandos curaverunt, graecos, quia aliqua ex parte ad solvendam religionem pertinere existimabantur, Q. Petilius praetor urbanus ex auctoritate senatus per victimarios facto igni in conspectu populi cremavit. Noluerunt enim prisci viri quidquam in hac adservari civitate, quo animi hominum a deorum cultu avocarentur.“

Cujus rei summam Valerium Livio debere, prima statim quae titulum excipiunt verba demonstrant, cf. Liv. XL. 29. 3. „in agro L. Petilii scribae sub Janiculo dum cultores agri altius moliuntur terram, duae lapideae arcae octonos ferme pedes longae quaternos latae inventae sunt“ et q. seq. Descriptionem arcarum Valerius ex more suo omisit. Ne illud quidem neglegendum est, eum, cum reliqua Livii verba retineret, pro eo quod a Livio positum est *moliuntur* substituisse *versantibus*, pro *inventae vero repertis*, ita ut, ubi in ceteris verbis cum Livio consentiens uno aliquo ab eo discedit, inde eum aliud in eo, quo ipse usus est, Livii exemplari atque, quod in nostris ejus codd. exstat, legisse colligi nequeat. Sic alibi pro *pulsare* posuit *manus offerre* (Liv. XXXVIII 42. 7. Val. M. VI 6. 3), *animo agitare* pro *cogitare*, pro *cetera* fere ubique *gratia*, similia, quod quidem nihil offensionis habet. Eo de quo nunc agimus loco Livium auctorem etiam ea verba produnt, quae epilogum proxime antecedunt, cf. Liv. 1. c. § 14. „libri in comitio *igne a victimariis facto in conspectu populi cremati sunt*.“ Jam vero in eis, quae interposita sunt, Valerius eo mire a Livio dissentit, quod, cum hic omnes libros, et graecos et latinos, crematos esse tradat — id enim ex verbis ejus, cum nihil dicat, unde alteros incendio exemptos esse

concludas, factum esse putandum est, — Valerius graecos crematos, latinos magna diligentia adservatos esse refert. Posteriorum historicorum nemo, quod equidem sciam, quem Livium secutum esse putandum est, eandem rem prodidit, cum utrum scripsisse, quae codices quae exhibent, praeterquam quod in ipsis verbis, quod suspicionem movent, nihil inest, quae in periocha hujus libri de eadem re scripta exstant, demonstrare videntur, in qua et ipsa res ita narratur, ut omnes libros crematos esse existimandum sit: „Libri Numae Pompilii inventi sunt, et Graeci et Latini. In quibus cum pleraque dissolvendarum religionum praetor, ad quem delati erant, legisset, juravit senatus, contra rempublicam esse, ut legerentur adservarenturque. Ex SC. in comitio exusti sunt.“[16] Itaque Valerius quin ea, quae de latinis libris scripsit, ex Livio non hauserit, dubitari nequit. Quaeritur igitur, num cum hoc loco praeter Livium alium fontem adiisse putandum sit. At ne hoc quidem verisimile est. Primum enim ubi ille in eadem re narranda complures juxta auctores adhibeat, id quod etiam a tota, qua librum suum composuit, ratione plane abhorrere facile intelligitur, nullum novi exemplum. Accedit alterum. Narrant eandem rem praeter Livium et Valerium etiam Plin. N. H. XIII 3, cum quo consentit auct. de vir. ill. c. III 3 et Plut. Num. c. XXII, ille Cassio Hemina auctore, hic Valerio Antiate, quorum ab utroque diversum fontem Livium, quamquam Valerii Antiatis et ipse mentionem facit (§ 8), adiisse statuamus necesse est, quippe qui cum pluribus et a Plinio et a Plutarcho dissentiat. In eo vero ei omnes consentiunt, quod ita rem narrant, ut omnes libros combustos esse putandum sit, neque, quod equidem sciam, ab ullo alio posteriorum historicorum septem librorum latinorum, Valerio si fidem habemus magna diligentia adservatorum, ulla fit mentio, quod tamen, si tales libri exstitissent, nunc dubie factum esset. Ac, quod etiam magis mirum est, ne Lactantius quidem, qui, ubi idem narrat, instit. div. I 22, Valerium Maximum sequitur, de libris latinis conservatis quidquam refert. Unde tamen ne verba Valerii corrupta esse concludamus, et summa omnium codicum consensio et tota loci ratio facit. Nihil igitur restare videtur, nisi, ut hunc aut errore aliquo deceptum fuisse, cum haec scriberet, et Livii verba vel obiter tantum inspexisse vel male cepisse dicamus, aut consulto ea, quae ab hoc recte exposita legerat, mutasse et corrupisse, quamquam cur

hoc ab eo factum sit, nulla probabilis occurrit causa. Ceterum neutrum a levitate eius abhorrere nunc ultimum mihi demonstrandum est. Ac primum quidem interdum eum ea, quae cum ex aliis historicis tum ex Livio hausit, consulto corrupisse atque exornasse, qui certe demonstrent, non desunt loci. Velut Livius ubi exponit pugnam bello Samnitico a Q. Fabio Maximo Rulliano magistro equitum iniussu Papirii dictatoris commissam (VIII. 30.), his verbis eam describit: „Ea fortuna pugnae fuit, ut nihil relictum sit, quo si adfuisset dictator, res melius geri potuerit. Non dux militi, non miles duci defuit. Eques etiam auctore L. Cominio tribuno militum, qui aliquotiens impetu capto perrumpere non poterat hostium agmen, detraxit frenos equis atque ita concitatos calcaribus permisit, ut sustinere eos nulla vis posset. Per arma, per viros late stragem dedere. Secutus pedes impetum equitum turbatis hostibus intulit signa. Viginti milia hostium caesa eo die traduntur.“ Eandem rem Valerius, quem Livium secutum esse totus loci color prodit, inter fortitudinis exempla refert (III. 2. 9.). Iam vero fortitudo Romanorum quo magis eluceat, ita pugnam descripsit, ut primum Romanos haud dubie superatos esse dicat, tum equites detractis frenis vehementer equos calcaribus stimulatos adversus Samnitas egisse obstinatoque animi praecursu extortam manibus hostium victoriam patriae restituisse. Eodem pertinet, quod Valerius, ubi pietatem erga patriam exemplis ex bello Punico desumptis illustrat (V. 6. 8.), dominos rerum servorum, quos Sempronius Gracchus ob rem bene gestam manumiserat, pretia ab imperatore exigere supersedisse narrat, cum Livius, quem ille sequitur, dominos a triumviris mensariis, ut pretia servorum acciperent, arcessitos, ante bellum confectum se ea accepturos esse negasse tradat (v. Liv. XXIV. 18.). Nec aliter explicandum est, quod Valerius ubi inter prodigia narrat, e capite L. Marcii in Hispania post cladem duorum Scipionum ad exercitum contionantis flammam effusam esse (Val. I. 5. 2.), addit, ea potissimum re milites antea pavidos incitatos pristinam fortitudinem recuperasse, hostes fudisse et haec eorum castra cepisse, cum Livius (XXV. 39.) nihil nisi magno cum circumstantium militum nullo antea terrore perculsorum pavore id prodigium factum esse tradat. Ceterum cum his quidem locis, quanam causa ea, quae a Livio sumpsit, mutaverit, facile intellegatur, haud desunt alii, ubi haec ratio certe minus perspicua est. Velut cur VII. 3. ext. 9

Romanos Tusculanorum orbem funditus evertere voluisse dicat, cum Livio auctore patres nihil aliud censuissent nisi Tusculanos bello persequendos esse (Liv. VI. 25. 5), haud facile dixeris. Valerius quidem illo loco consilium, quo Tusculani id bellum repulerint, sane callidum pro exemplo inter vafre facta proponit, cujus tamen facti vafritia ea ratione, quam Valerius secutus est, non augetur.

Attamen etiam hoc loco rem ab eo consilio mutatam atque exornatam esse apparet. Jam vero multo major eorum locorum numerus est, ubi idem aut rerum ignoratione deceptus aut Livii verbis obiter tantum ac leviter inspectis, aut etiam perperam intellectis res foede corrupit. Nec enim immerito ob eam ipsam rem jam dudum de Valerio ab editoribus ejus deploratum esse (v. Kempf prolegg. p. 26 seqq.). Nullum sane excogitari potest errorum genus, cujus non complura exempla ille suppeditet. Itaque diversos homines (Q. Fabium Maximum Rullianum et Q. Fabium Maximum Verrucosum II. 2. 4. cf. Liv. XXIV. 44. Valerium Publicolam et Menenium Agrippam VIII. 9. 1, cf. Liv. II. 32. Africanos superiorem et posteriorem II. 4. 3. cf. Liv. XXXIV. 54.), tempora (VI. 5. ext. 1. post duorum Scipionum cladem Saguntum ab Hannibale captam esse tradit), loca (Apuliam et Bruttios I. 6. 9. cf. Liv. XXVII. 25. Sardiniam et Siciliam I. 6. 5. cf. Liv. XXII. 1. Crotonem et Locros I. 1. 20. cf. Liv. XXIII. 3. 3.), magistratus eorumque titulos (consules et consules designatos VI. 6. 3. cf. Liv. XXXVIII. 42. praetorem et aedilem curulem IV. 3. 3. cf. Liv. IX. 46. et Vol. II. 5. 2, ubi Cn. Flavium aedilem curulem fuisse recte scriptum est, plebiscitum et senatus consultum VII. 8. 2. cf. Liv. XXII. 25.) in eis potissimum partibus, quae ab ipso profectae sunt, titulis et epilogis, miro modo confundit et permutat. Sic ubi, qua ratione Falerii summa Camilli in obsessos fide in potestatem Romanorum venerint, exponit (VI. 4. 1.), non solum eo errat, quod Camillum tum temporis consulem fuisse tradit, qui numquam consul fuit, sed illo tempore tribuni militaris munere fungebatur, sed magis etiam eo reprehendendus est, quod senatum erasisse, ut pueri perfidiae illum ludimagistrum vinctum virgis caedentes in patriam remitterentur, scribere sustinuit (cf. Liv. V. 7.), quod non solum Camillum omni in illa re laude exuit, sed etiam penitus absurdum et ridiculum est nec quomodo fieri potuerit, ut senatus de ea tam pusilla ex castris consuleretur,

ullo modo cogitari potest. Alibi idem eo lapsus est, quod ea a Livio fusius explicata paucis comprehendere studuit. Velut quod III. 7. 1. tradit, P. Cornelium Scipionem injussu senatus in Africam trajecisse, his verbis ea complecti voluit, quae Livius XXVIII. c. 40 exponit: Scipioni in Africam trajecturo primo quidem majorem senatus partem adversatam, postea vero permissum esse, ut, si e republica videretur, in Africam exercitum duceret. Multo tamen saepius ne id quidem excusationis habet, sed simpliciter dicendum est, eum Livii verba aut obiter tantum inspexisse aut perperam intellexisse. Atque hujus quidem rei, cum ut de tota hac quaestione, quae est de fide atque diligentia a Valerio in exprimendo Livio adhibita, brevior esse possim, ea efficiant, quae Kempfius l. c. multa collegit, unum addo exemplum ab editoribus nondum, ut par erat, notatum et explicatum. Val. VII. 6. 2. ut demonstret, quid necessitas cogat, haec narrat:

„Propter eandem cladem (Cannensem) senatus Otacilio, qui Siciliam, Cornelio Mammulae, qui Sardiniam pro praetoribus obtinebant, querentibus, quod neque stipendium neque frumentum classibus eorum et exercitibus socii praeberent, adfirmantibus etiam, ne habere quidem eos, unde id praestare possent, rescripsit, aerarium longinquis impensis non sufficere, proinde quo pacto tantae inopiae succurrendum esset, ipsi viderent." Sumpsit haec Valerius procul dubio ex Liv. XXIII. c. 21. ubi haec exstant: „Per idem fere tempus litterae ex Sicilia Sardiniaque Romam adlatae. . . . Priores ex Sicilia T. Otacilii propraetoris in senatu recitatae sunt . . . . ipsum graviter saucium in discrimine ultimo vitae esse, militi ac navalibus sociis neque stipendium neque frumentum ad diem dari neque unde detur esse. . . . Eademque ferme de stipendio frumentoque ab A. Cornelio Mammula propraetore ex Sardinia scripta. Responsum utrique, non esse, unde mitteretur, jussique ipsi classibus atque exercitibus suis consulere." Ac videntur haec satis dilucide a Livio exposita esse: scripsere propraetores *sibi* non jam esse, unde militibus frumentum atque stipendium darent. Quam negligenter igitur Valerium, qui in reliquis ipsa Livii verba (neque stipendium neque frumentum classibus eorum et exercitibus) servavit, fontem suum inspexisse existimandum est, cum scriberet, questos esse propraetores, quod *socii* sibi neque frumentum neque stipendium suppeditarent! An is eo deceptus est, quod Livius nauticos navales socios dixit?

Quamquam ne ita quidem levitatis crimine absolvitur, neque enim elocutio illa inusitata fuisse illo tempore videtur (v. interpret. ad Liv. XXI 50 3); neque Valerius ea in errorem induci debebat. Ne vero quis putet, eum rem recte narrasse et quae in codd. Livii exstant verba corrupta esse, praeterquam quod illis temporibus ne erat quidem sociorum, ut exercitibus romanis stipendium darent (v. Liv. XXIII 32, 8 ibiq. Duker. Liv. XXIII 48 4), ea impediunt, quae ipse Livius § 5 addit, propraetores cum a senatu nihil sibi subsidii sperandum esse intellexissent, tum demum ad civitates socias confugisse ab eisque benigne et frumento et argento adjutos esse. Ac sunt tamen, ut hoc in fine hujus disputationis addam, haec omnia talia, ut unicuique Romano vel mediocriter litterato notae esse deberent.

§ 3.

Julius Florus.

Julii Flori historiarum romanarum libros duo, quos sub Trajano Hadrianove compositos esse ea, quae ipse Florus sub finem praefationis dicit, documento sunt (cf. Jahn praef. p. XL XLV), cum ante hos septem octove annos O. Jahnius denuo ederet, is primus auctoritate optimi codicis Bamb. fretus hunc eis praefixit titulum: Juli Flori epitomae de T. Livio bellorum omnium annorum DCC libb. II. Et fuerunt sane etiam ante Jahnii editionem, qui Florum nullo historicorum scriptore praeter Livium usum esse, sed ab eo solo mutuatum, quae rhetorice exornaret, putarent, nec defuit, qui id publice profiteretur (v. F. Ritter in annal. ab antiq. Rhen. edit. fasc. XVII (1851) § 1. „Die einzige geschichtliche Quelle des Florus ist Livius.“[1]) Sed rectius de ea re et ante Ritterum Niebuhrius (Vorles. üb. röm. Gesch. ed. Isler I. p. 58.) et post eum Jahnius (praef. p. XXXIV.) et Weissenbornius judicaverunt (Liv. ed. II. Teubner prolog. p. XIII. not. 23), quamquam sententiam suam exemplis comprobare supersederunt. Exstant enim inter eas Flori partes, ubi Livium in comparationem vocare nunc licet, loci satis multi, qui eum praeter Livium etiam ex aliis fontibus hausisse certissime evincunt. Paucos adscribo. Velut quod Florus refert (I. 1. [5. 5]) Tarquinium Priscum duodecim Tusciae populos frequentibus armis subegisse, consentit ille quidem cum Dionysio Halicarnassensi, qui A. R. III 53 et 61 de his bellis exponit, Livius nullam eorum fecit mentionem (cf. Lachmann comm.

I p. 54). Neque magis ex Livio petita sunt, quae lib. I 5. (II 4) et I 28. (II. 12. 14. seq) de Dioscuris victoriarum a Romanis ad lacum Regillum et ad Pydnam partarum nuntiis narrantur, cf Lachmann I p 79 2, cum Floro consentiunt Dion Hal VI 13 Cic de nat. deor II 2 6. VI 5 11 quique hunc secutus est Val Max I 8 1 Plut Coriol c 3. Paul. Aemil c 25. Complurima prodigia commemorantur a Livio praetermissa, v. Flor I 22 (II. 6 14) „lassitudia signa sanguinis“, Flor. I. 24 (II 8. 2) „cum amore continuo Cumaeus Apollo sudaret.“

Hostium populi romani crudelitatem et immanitatem ea augent, quae narrantur Flor I 22. (II 6. 7), Hannibalem in pugna Cannensi ipsum denique milites ferro parcere jussisse, cladis vero testimonia fuisse cruentum aliquamdiu Aufidum et pontem in torrente Vergello jussu Hannibalis de cadaveribus caesorum Romanorum factum. Livius omnia praetermisit, cum Floro consentiunt de pontibus Val Max IX 2 ext 2 Appian Han 28 de Aufido Sil Ital X. 319 20. Eodem pertinet, quod Florus I 27 (II 11 6) captos Gallograecos catenas morsibus et ore temptasse et offocandas invicem fauces praebuisse refert. Neque vero solum, quae a Livio praetermissa erant, Florus ex aliis scriptoribus petivit, sed saepe etiam in ejusdem rei relatione ita ab eo dissentit, ut eum alium auctorem secutum esse statuamus necesse sit. Ita prorsus inter eos discrepat de pugna Regillensi (Flor I 5 [11] Liv II 19), de morte Romuli et iis quae post eam accidisse dicuntur (Flor I 1 18 Liv I 16 cf Plut Rom 27), de fuga Cloeliae (Flor I 4 [10 7] Liv II 13. 6.). Ex alio juxta Livium fonte Florus hausit ea, quae de obsidione Capitolii per Gallos facta refert, lib I 7 (13) (quae §. 13 continentur, non ea Livio sumpta sunt, a quo etiam § 16 [v Liv V 46] recedit, cf App Celt 6. ed Bekk, qui se Cassium Heminam secutum esse dicit). In enarrando bello Histrico (I 26 [II. 10]) utrum alium auctorem secutus sit, an ea, quae Livii annales ei suppeditabant, parum accurate reddiderit, discerni nunc nequit. Exercitum Antiochi in pugna ad Sipylum montem commissa Florus (I 24 [II 8 16]) trecentorum milium peditum, equitum falcatorumque curruum non minorem numerum, Livius (XXXVII 37) sexaginta duo milia peditum, plus duodecim milia equitum fuisse tradunt.

Ex his igitur quamquam apparet, Florum non Livium solum secutum esse, hic tamen pro primario fonte ei fuit. Cujus auctoritatem quando deserendam sibi esse atque ad alios auctores deflectendum putaverit, si quaeritur, hanc quaestionem ut solvamus, antea pauca de consilio, quo librum suum composuerit, dicenda sunt. Fuit enim Florus non vere historicus, qui res romanas ex veritate et cum fide ac religione perscribendas sibi proponeret, sed sine dubio aut studiis rhetoricis valde deditus, aut ipse rhetoricam professus, — hominem umbraticum rectissime eum dicit Niebuhrius Schol ed Isl II p 327, — qui populi romani non historiam, sed panegyricum, quales alii illius aetatis rhetores singulorum imperatorum scripserunt, composuit. Ea enim sane sors historiae inter Romanos fuit, ut, postquam ad perfectionem quandam pervenit, subito subinde lapsa recideret, eumque qui, si de universo populi romani historia cogitamus, primus condiderat, idem sepeliret. Hujus rei si causas quaerimus, altera in eo posita est, quod, qui post Livium historiam romanam scripserunt, in ea ipsa re, qua nescio an summa illius laus contineatur, quod primus, quae ex studiis rhetoricis ad artem historiae conscribendae peti possent, in usum vocavit, ita modum excesserunt, ut non tam quid, quam quomodo scriberent intenti et veri parum curiosi res pro materia quadam haberent, quas cum sententiis et acute dictis distinguerent et magno verborum sono ac tumore quasi declamarent, et ingenium et artem suam venditarent. Sic quam eodem tempore labem eloquentia traxit, — speciosus de ea re exstat locus Petron Satyr ab init, — eandem traxit historia. Sed accessit altera labis causa in toto, qui tum erat, rerum romanorum statu posita. Imperatores enim partim, ne seditiosis vocibus res rursus turbarentur, partim prava quadam aemulatione inducti non solum libere dicendi, sed etiam scribendi licentiam adeo sustulerunt (cf Bernhardy Roem LG An 201 ed III), ut ne poetae quidem censura exempti essent (cf Tac dial de or c 2) omnisque liberior animorum impetus ab ipsa origine castigaretur. Quae cum ita essent, excessit paulatim ex animis hominum rerum publicarum cura et majorum ingentiumque rerum fortiorum evanuit memoria. Ejus vero rerum publicarum status, qui fuit, dum imperium penes populum erat, quam imperiti primis post Christum natum saeculis vel ei fuerint, qui docti et fuerunt et habiti sunt, vix dici potest. Has ob

causas quam graviter litterae et imprimis historia necessario afflictae sint, facile intelligitur (cf. Tac. H. I. 1.) Neque enim illud putandum est, haec tempora prioribus magnorum ingeniorum minus feracia fuisse: at quotusquisque eorum, qui ingenii vi excellebant, ut Tacitus ea etiam constantia fuit, ut rebus illis non succumberet? Florus igitur, ut ad hunc tandem revertar, cum ex more ejus, quo vixit, temporis panegyricum potius quam historiam conscriberet, factum est, ut singulas potissimum res aut a singulis civibus aut ab universo populo praeclare gestas e media rerum copia, quam praebebant Livii annales, eriperet, quas ore magno sonanti praediceret. Semper ille victorias et triumphos loquitor, de cladibus nihil, nisi ubi efficiat, ut eo praeclarius inde emergat atque eluceat virtus romana. Hinc porro explicandum, quod, cum omnes illas narratiunculas de Cocliibus, Muciis, Cloeliis, Fabiis, ceterisque illis nobilibus nominibus a Livio ex parte fabularum nomine diserte notatas summa cura repetat, quae magis ad internum rerum statum spectant, rixas inter plebem et patres actas, seditiones tribunicias, legumlationes, foedera eorumque conditiones, temporum rationes, similia, quae merito tantum loci apud Livium obtinent, aut prorsus omisit aut brevissime tetigit. Livius ubi de eadem re diversas sententias proponit, Florus utra etiam hoc ipso auctore verisimilior sit, parum curans eam sequitur, quae rebus romanis maxime favent, cf. Flor. I. 11. (I. 16. 12) et Liv. IX, 15. 8. Ut vero res romanas etiam supra verum augere et exornare ubique studet (cf. Flor. I. 23. [II. 7. 9.] „bis victus, bis fugatus rex, bis castris exutus" et Liv. XXXI. 33. seqq., XXXII. 6. 8), ita in hostes populi romani severiore judicio grassatur, in utraque autem re ubi ea, quae Livius retulit, animo ejus speciosa ubique captanti non sufficere videbantur, ut id, quod volebat, efficeretur, ad alios auctores Livio minus religiosos confugiendum sibi esse putavit, cujus rei supra exempla posui.

Porro si quaeritur, qua fide ac diligentia Florus ea, quae ex Livio hausit, reddiderit, piget repetere, quod tam saepe et dictum et scriptum est, utcumque ei prorsus abjudicandam esse. Missum facio, quod consulto res saepe corrupit, de qua re modo dixi, errorum vero nullum fingi potest genus, cujus non luculenta exempla unaquaque libri ejus pagina suppeditet. Pauca adscribo. Velut diserte Livius lib. V. 35. 4. Clusinis ante bellum Gallicum nullum jus societatis amicitiaeve adversus Romanos

fuisse indicavit. Florus I. 7. (13. 6) legatos romanos „pro sociis et foederatis intervenisse" scripsit. Idem lib. I. 22 (II. 6. 42) Hannibalem dolore amissae Capuae inductum (a. u. c. 541.) Romam duxisse tradit, sed Capua tum nondum a Romanis tenebatur, sed obsidebatur, quos ipsa ab obsidione ut eos averteret, Hannibal Romam duxit, v. Liv. XXVI. 7. seqq. Fuse a Livio XXXIV. 58 expositum est, Lysimachiam urbem a Lysimacho conditam ei vi et armis per Seleucum Antiochi proavum ereptam esse, eandem Florus I. 24. (II. 8. 7.) a majoribus Antiochi conditam esse scribit. Maxime vero et saepissime nimio brevitatis studio lapsus est, quod in causa fuit, ut diversos homines et tempora mire confunderet. Sufficiat ejus rei unum exemplum satis speciosum. Florus ubi in medio bello Punico secundo enarrando versatur lib. I. 22. (II. 6. 35), Sardiniam Gracchum arripuisse et domuisse refert. Et sane illo tempore a Romanis in Sardinia pugnatum est, insulaque domita, v. Liv. XXIII. 34. et 41., fuit eodem tempore Romae Tib. Sempronius Gracchus, vir clarissimus, qui multas res bene gessit, consul a. a. u. c. 536, v. Liv. XXIII. 24., neque vero is a. a. u. c. 537. Sardiniam provinciam sortitus est, sed T. Manlius praetor, v. Liv. XXIII. 40. seq., eandem autem insulam, cum multis annis post a. a. u. c. 575. rebellaret, Tib. Sempronius Gracchus, Tib. Sempronii nepos, demum domuit de eaque triumphavit, v. Liv. XLI. 9. et 28; Florus, ut solet, haec omnia confudit et permiscuit.

Restat, ut de ceteris operis formis pauca dicam. Et in tota quidem rerum dispositione Florum longe a Livio recedere, primo obtutu apparet. Hic enim cum res, sicut tempore inter se cohaereat, ita exposuerit, ille temporis ratione prorsus neglecta plerumque res per genera digestas persequitur. Quid velim, titali in codicibus singulis capitibus praefixi ostendere possunt, quibus alio capite Florum seditiones (I. 17.), alio bella servilia (II. 7. (III. 19.), alio res in Hispania gestae I. 33. (II. 17.) comprehendisse docemur. Deinde vero quod ad ipsam orationem attinet, quamvis res a Livio haustas brevissime perstringat et suis sententiis ac declamationibus distinguat, tamen hic illic per ejus tumorem ipsa Livii verba perluceat et, ut ipsae Flori verbis ater, quasi per nebulam reruguosecuntur. Idque tum maxime locum tenet, ubi Florus sententias quasdam Livii aut cum nomine quodam dicta repetit. Velut ula

primum P. Cornelii Scipionis mentionem facit in descriptione pugnae ad Ticinum factae I. 22. (II. 6. 11), his utitur verbis: „Hic erit Scipio, qui in exitium Africae crescit, nomen ex malis ejus habiturus“ cf. Liv. XXI. 46. 8. „hic (Scipio) erit juvenis, penes quem perfecti hujus belli laus est, Africanus ob egregiam victoriam de Hannibale Poenisque appellatus.“ Flor. I. 24. (II. 8. 5). „Annibal — profugus et pacis impatiens hostem populo romano toto orbe quaerebat“ cf. Liv. XXXV. 19. 4, ubi ipse Hannibal haec dixisse refertur: „hoc (sacramentum) me in pace patris mea expulit, hoc duce ubicunque vires esse sciam, huc veniam, toto orbe terrarum quaerens aliquos Romanis hostes.“ Cum eo autem quod diximus, captare Florum acute a Livio dicta, et cum toto ejus consilio cohaeret, quod orationes potissimum Livii historiis insertas in suos usus convertit. Velut quae I. 27. (II. 11.) de origine et moribus Gallograecorum exponit, aperte colorem ex ea oratione duxerunt, quam Livius XXXVIII. 17. Cn. Manlium Vulsonem apud milites habentem facit, cf. Flor. l. c. § 3. „ceterum gens Gallograecorum, sicut ipsum nomen indicio est, mixta et adulterata est, — itaque uti frugum semina mutato solo degenerant, sic illa genuina feritas eorum Asiatica amoenitate mollita est“, cf. Liv. l. l. § 9. seqq. „Hi jam degeneres sunt, mixti et Gallograeci vere, quod appellantur, sicut in frugibus pecudibusque non tantum semina ad servandam indolem valent, quantum terrae proprietas coelique, sub quo aluntur, mutat.“ Sed alibi etiam in ipsa rerum relatione Livii verba ascivit. Velut Gallos Livius V. 37. 2. „ab oceano terrarumque ultimis oris bellum civisse“ scripsit, eosdem Florus I. 7. (13. 5.) „ab ultimis terrarum oris et cingente omnia oceano“ profectos esse refert. V. Liv. XXVI. 11. 4. „minuere etiam spem ejus (Hannibalis) duae (v. Madvig Emend. Liv. p. 305 et codd. vulg.) aliae, parva magnaque, res, — parva autem, quod per eos dies eum forte agrum, in quo ipse castra haberet, venisse nihil ob id deminuto pretio cognitum ex quodam captivo est. Id vero adeo superbum atque indignum visum, ejus soli, quod ipse bello captum possideret haberetque, inventum Romae emptorem, ut extemplo vocato praecone tabernas argentarias, quae circa forum romanum tunc essent, jusserit venire“, cf. Flor. I. 22. (II. 6. 47.) „parva res dictu, — quod illis ipsis, quibus obsidebatur, diebus ager, quem Hannibal castris insederat, venalis Romae

fuit hastaeque subjectus invenit emptorem. Voluit Hannibal contra imitari fiduciam subjecitque argentarias urbis tabernas, nec sector inventus est, ut scias etiam praesagia fatis adfuisse." Atque hoc quidem loco quae ultima posita sunt, ea aperte Florus ad rem exornandam, ceterum satis ridicule de suo addidit, sicut ejusdem capitis §. 40. P. Cornelium Scipionem captivas Hispanas ne in conspectum suum quidem passum esse adduci scribit, ne quid de virginitatis integritate delibasse saltem oculis videretur, cum Livio auctore l. XXVI. 50 seq. et recensuerit et ipse suis reddiderit. Ad eadem dicta pertinent quae leguntur Flor. I. 22 (II. 6. 1.) bellum punicum secundum adeo terribile fuisse, „ut si quis conferat damna utriusque populi, similior victo sit populus ille, qui vicit." cf. Liv. XXI. 1. 2 „adeo varia fortuna belli ancepsque Mars fuit, ut propius periculum fuerint, qui vicerunt." Conferri praeterea possunt Flor. I. 23 (II. 7. 9.) et Liv. XXXI. 34. 4. Flor. I. 25 (II. 9. 2.) et Liv. XXXVIII. 9. fin. Flor. I. 22 (II. 6. 24. seq.) et Liv. XXVI. 36. 10 seq.

Atque haec quidem sufficiunt ad demonstrandum, quo jure Flori libri duo de T. Livii epitome inscribantur.

§ 4.
Plutarchus.

Plutarchi Chaeronensis inter auctores quem locum Livius, qui compluribus locis ab eo citatur, obtineret, magna omni tempore inter viros doctos fuit dissensio. Ac Niebuhrius quidem cum Plutarcho in vitis Romanorum pro principe duce fuisse docuisse dicitur, v. Röm. Gesch. nach N's Vorträgen ed. L. Schmitz, übers. v. Zeiss, I. p. 97, Vorträge ed. Isler I. 59, contra qui peculiarem libellum „de fontibus et auctoritate vitarum parallelarum Plutarchi" composuit L. Heerenius Plutarchum Livium non illum quidem prorsus neglexisse, sed pro principe duce nunquam habuisse affirmat, v. p. 119 et p. 146. cf. praeterea veteres Livii interpretes, Alschefskium, si tanti est ejus judicium, Liv. vol. II. p. 67, Madvigium Emendat. Liv. pag. 616. Et est sane haec quaestio difficillima, quae si unquam ad liquidum perduci poterit, id tum demum fieri posse existimo, si generalior illa altera quaestio, quae est de reliquis Plutarchi

auctoribus, accurata et subtili disputatione tractata sit, quam rem hoc tempore integram esse, scit, qui Heerenii libellum inspexit. Mihi cum hoc loco quid de ea re sentiam indicandum sit, omne vero id judicium sine dubio ab eis locis proficisci debeat, ubi Plutarchus Livium citat et ipsius hujus verbis in comparationem vocatis quomodo ille eum expresserit, cognosci potest, de his primum agam. Exstat autem eorum primus Cam. c. VI. Referens Vejis captis, opificibus romanis simulacrum Junonis reginae Romam deportare molientibus, Camillo sacrificanti atque eam, ut volens propitia victorum voluntatem sequeretur et deis urbis Romae se adjungi pateretur, precanti se vero velle clara voce deam respondisse. Secuntur haec: *Λίβιος δέ φησιν εὔχεσθαι μὲν τὸν Κάμιλλον ἁπτόμενον τῆς θεοῦ καὶ παρακαλεῖν, ἀποκρίνασθαι δέ τινας τῶν παρόντων, ὅτι καὶ βούλεται καὶ συγκατανεῖ καὶ συνακολουθεῖ προθύμως.* Locus Livii, ad quem Plutarchus, cum haec scriberet, respexit, exstat lib. V. 22. 3, sed ibi rem prorsus aliter factam esse narratur. Refert enim Livius delectos ex omni exercitu juvenes, ut simulacrum Romam deportarent, venerabundos templum iniisse, et primum religiose admovisse manus. Dein cum unus ex eis, incertum divino spiritu tactus an juvenili joco, „visne Romam ire Juno?“ dixisset, adnuisse deam ceteros conclamasse. Alios deinde fabulae adjecisse, vocem quoque dicentis velle auditam. Camilli quem ipsum simulacrum tetigisse ac deam ut sequeretur precatum esse Plutarchus est auctor, Livius ne mentionem quidem facit. Attamen recte se habere, quae codices Livii praebent, et ab ipso ita scripta esse testatur Valerius Maximus, qui ubi eandem rem narrat lib. I 8. 3, ut solet, ipsis Livii verbis utitur, eo tamen falsus, quod Junonem Monetam pro regina posuit, in quem errorem eum Lactantium traxisse (v. instit. div. II. 7.) Kempfius proleg. ad Val. M. p. 32 et 45 indicavit. Quaeritur igitur, quomodo factum esse putandum sit, ut Plutarchus, cum ipse se Livium exprimere dicat, ita tamen ab eo recedat. Nec cur consulto res ab eo mutata sit, ulla sane potest cogitari causa, neque magis verisimile est, eum verba latina parum intellexisse et ob eam causam perperam reddidisse, quamvis eum eum linguae latinae parum gnarum fuisse constet (v. Heeren l. c. p. 99.), tamen hoc loco quomodo fieri potuerit, ut in eis, quae Livius scripsit, Camilli nomen legere sibi videretur, intelligi nequit. Restat igitur, ut eum verba Livii obiter inspexisse et ex memoria

neglegenter reddidisse dicamus. Videtur enim memoria lapsus ea, quae sub initium capitis 21 a Livio narrantur, Camillum antequam Vejos aggrederetur deos hostium sollemni precatione evocasse (v. de evocatione Preller Rom. Myth. p. 468. Serv. ad Verg. Aen. II. 244.), cum eo, quem supra adscripsi, loco male conjunxisse totamque rem deinde sibi ipse, ut nunc exposita ab eo legitur, confinxisse.

In vita Marcelli tribus locis Livius citatur, quorum primus exstat cap. XI. Plutarchus postquam rem a Claudio Marcello ad Nolam feliciter gestam in universum eodem modo atque Livius exposuit, haec addit: *λέγονται γὰρ ὑπὲρ πεντακισχιλίους ἀποθανεῖν, ἀποκτεῖναι δὲ τῶν Ῥωμαίων οὐ πλείονας ἢ πεντακοσίους. ὁ δὲ Λίβιος οὕτω μὲν οὐ διαβεβαιοῦται γενέσθαι μεγάλην ἧτταν οὐδὲ πεσεῖν νεκροὺς τοσούτους τῶν πολεμίων, κλέος δὲ μέγα Μαρκέλλῳ καὶ Ῥωμαίοις ἐκ κακῶν θάρσος ἀπὸ τῆς μάχης ἐκείνης ὑπάρξαι θαυμαστόν, οὐχ ὡς πρὸς ἄμαχον οὐδὲ ἀήττητον, ἀλλά τι καὶ παθεῖν δυνάμενον ἀγωνιζομένους πολέμιον,* cf. Liv. XXIII. 16. 15. „vix equidem ausim adfirmare, quod quidam auctores sunt, duo milia et octingentos hostium caesos, non plus quingentis Romanorum amissis. Sed sive tanta sive minor victoria fuit, ingens eo die res ac nescio an maxima illo bello gesta est; non vinci enim ab Hannibale vincentibus difficilius fuit, quam postea vincere.“ Patet etiam hoc loco Plutarchum Livium parum accurate reddidisse, neque enim cur eos numeros, quos Livii codd. praebent, pro corruptis habeamus ulla exstat causa, et in ea quae sequuntur verba quamquam codices corruptus esse apparet, tamen quam sententiam Livius proposuerit, dubium esse non potest, quem haec scripsisse suspicor: „non vinci enim ab Hannibale vince[re sueto tum pugna]tibus difficilius fuit quam postea vincere“ (cf. Madvig. Emend. p. 262. not. 2.)

Marcell. c. XXIV. haec leguntur: *ἔπειτα τοῦ Ἀννίβου Φούλβιον Γναῖον ἀνθύπατον ἐν Ἀπουλίᾳ κατακτείναντος μὲν αὐτὸν σὺν ἕνδεκα χιλιάρχοις, κατακόψαντος δὲ τῆς στρατιᾶς τὸ πλεῖστον, ἔπεμψεν εἰς Ῥώμην γράμματα τοὺς πολίτας παρακαλῶν θαρρεῖν· αὐτὸς γὰρ ἤδη βαδίζειν ὡς ἀφέλοιτο τὴν χαρὰν Ἀννίβου. Καὶ ταῦτα μὲν ὁ Λίβιός φησιν ἀναγνωσθέντα τὰ γράμματα μὴ τῆς λύπης ἀφελεῖν, ἀλλὰ τῷ φόβῳ προσθεῖναι, τῶν Ῥωμαίων μεῖζον ἡγουμένων τοῦ γεγονότος τὸ κινδυνευόμενον, ὅσῳ Φουλβίου κρείττων ἦν Μάρκελλος.* cf. Livii XXVII. 2. 1. seqq. „Marcellus nihil admodum tanta clade territus litteras Romam ad senatum de duce et exercitu ad Herdoneam

amico scribit ceterum eundem ea, qui post Cannensem pugnam ferocem victoria Hannibalem custodisset, ire adversus eum brevem illi laetitiam, qua exsultet, facturum. Et Romae quidem cum luctus ingens ex praeterito, tum timor in futurum erat." Vides Plutarchum hoc loco, ad quem infra recurrendum erit, in exprimendo Livio ita versatum esse, ut sententiam ab illo breviter significatam fusius explicaret et argumentis firmaret.

Satis memorabilis est is locus, de quo deinceps mihi dicendum est. Plutarchus enim ubi de morte Marcelli exponit, Marcelli c. XXX., postquam narravit, corpus ejus ab Hannibale combustum esse, ossa arcae argenteae inclusa ad filium Marcelli missa, sed in itinere impetu a Numidis nonnullis facto dispersa nec postea ab Hannibale requisita, haec addit: *ταῦτα μὲν οὖν οἱ περὶ Κορνήλιον Νέπωτα καὶ Οὐαλέριον Μάξιμον ἱστορήκασι. Λίβιος δὲ καὶ Καῖσαρ ὁ Σεβαστὸς κομισθῆναι τὴν ὑδρίαν πρὸς τὸν υἱὸν εἰρήκασι καὶ ταφῆναι λαμπρῶς.* Ac de Cornelio quidem et Caesare Augusto nihil certi nunc dici potest, sed ea quae de Valerio Maximo et Livio Plutarchus scripsit, falsa esse, jam dudum et intellectum et notatum est. Horum scriptorum enim uterque Marcellum ab ipso Hannibale sepultum esse tradit, quamquam quae Valerius scripsit non ex Livio hausta sunt. v. Val. M. V. 1. ext. 6. et Liv. XXVII. 21. 4. Itaque quod de Valerio jam Kempfius adnotavit, non ipsa ejus verba a Plutarcho inspecta esse, idem de Livio dicatur necesse est. Idem vero Kempfius quod suspicatur (proleg. ad Val. p. 44.), Plutarchum „nuntium de hac Valeriana (et quod addere debemus etiam Liviana relatione) fortasse parum accuratum ab amico studiorumque adjutore acceptum non diligenter excussa veritate reddidisse" idque verisimilius esse dicit, quam eum haec nomina ex graeco aliquo scriptore parum accurate transscripsisse, partes ejus relinquo. Neque enim solum hoc per se verisimilius esse mihi videtur quam illud, sed ipsum fontem graecum certe probabiliter indicare posse mihi videor. Prorsus eadem enim nomina praeter unum Valerii etiam in comp. inter Pelop. et Marcell. componuntur, ubi et additur nomen Jubae: *Ἀννίβαν δὲ Μάρκελλος, ὡς μὲν οἱ περὶ Πολύβιον λέγουσιν, οὐδ᾽ ἅπαξ ἐνίκησεν — ἡμεῖς δὲ Λιβίῳ, Καίσαρι καὶ Νέπωτι καὶ τῶν Ἑλληνικῶν τῷ βασιλεῖ Ἰόβᾳ πιστεύομεν, ἥττας τινὰς καὶ τροπὰς ὑπὸ Μαρκέλλου τῶν σὺν Ἀννίβᾳ γενέσθαι.* Jubam igitur *ἐν τῇ ἀρχαιολογίᾳ ῥωμαϊκῇ* qua Plutarchum usum esse certum est, cf. Rom. c. XIV. XV. XVII.

Num VII XIII, Heeren l. c. p. 140., scriptorum latinorum de morte Marcelli testimonia collegisse et Plutarchum eum secutum esse neque vero diversos auctores accurate distinxisse suspicor.

Cat. maj. c. XVII narratur, Catonem censurem una cum L. Valerio Quinctium Flamininum T. Quinctii fratrem consularem, quod, cum consul Galliam provinciam obtineret, ex arbitrio scorti cujusdam unum ex eis, quos capitis damnatos in vinculis haberet, in convivio per lictorem securi percussisset, e senatu movisse. Secuntur haec: οἱ μὲν οὖν πλεῖστοι ταῦτα ἱστοροῦσι καὶ ὅ γε Κικέρων αὐτὸν τὸν Κάτωνα διηγούμενον ἐν τῷ περὶ γήρως διαλόγῳ (Cat. maj. § 42) πεποίηκεν. ὁ δὲ Λίβιος αὐτόμολον εἶναί φησι Γαλάτην τὸν ἀναιρεθέντα, τὸν δὲ Λεύκιον οὐ δι' ὑπηρέτου κτεῖναι τὸν ἄνθρωπον, ἀλλ' αὐτὸν ἰδίᾳ χειρί, καὶ ταῦτο ἐν τῷ λόγῳ γεγράφθαι Κάτωνος. cf. vit. Tit. c. XVIII ubi de eadem re haec scripta sunt: Οὐαλέριος δὲ Ἀντίας οὐκ ἐρωμένῳ φησίν, ἀλλ' ἐρωμένῃ τοῦτο χαρίσασθαι τὸν Λεύκιον. ὁ δὲ Λίβιος ἐν λόγῳ Κάτωνος αὐτοῦ γεγράφθαι φησίν, ὡς Γαλάτην αὐτόμολον ἐλθόντα μετὰ παίδων καὶ γυναικὸς ἐπὶ τὰς θύρας δεξάμενος εἰς τὸ συμπόσιον ὁ Λεύκιος ἀπέκτεινεν ἰδίᾳ χειρὶ τῷ ἐρωμένῳ χαριζόμενος. Pertinent haec omnia ad ea quae a Livio l. XXXIX. c. 42. 8. seqq. narrantur, nam etiam nomen Antiatis Plutarchus, quamquam eum annales ejus legisse et in vitis Romuli, Numae, Publicolae potissimum expressisse constat, hoc tamen loco e Livio, qui et ipse eum citat, transscripsit. Ceterum et hoc loco et eo, quem subinde adscribam, satis accurate Livii verba reddidit. In vita Titi enim ubi de morte Hannibalis exponit c. XX., postquam varias de ea scriptorum sententias proposuit, ita pergit: Λίβιος δέ φησι, φάρμακον ἔχοντα κεράσαι καὶ τὴν κύλικα δεξάμενον εἰπεῖν· Ἀναπαύσωμεν ἤδη ποτὲ τὴν πολλὴν φροντίδα Ῥωμαίων, οἳ μακρὸν ἡγήσαντο καὶ βαρὺ μισουμένου γέροντος ἀναμεῖναι θάνατον. Οὐ μὴν οὐδὲ Τίτος ἀξιοζήλωτον ἀποίσεται νίκην οὐδ' ἀξίαν τῶν προγόνων, οἳ Πύρρῳ πολεμοῦντι καὶ κρατοῦντι τὴν μέλλουσαν ὑποπέμψαντες κατεμήνυσαν φαρμακείαν, quibus haec Livii verba reddidit (XXXIX, 51. 8. seq.): „Hannibal venenum, quod multo ante praeparatum ad tales habebat casus, poposcit. Liberemus, inquit, diuturna cura populum romanum, quando mortem senis expectare longum censent. Nec magnam nec memorabilem ex inermi proditoque Flamininus victoriam feret. Mores quidem populi romani quantum mutaverint vel hic dies argumento erit. Horum patres Pyrrho regi, hosti armato, exercitum in Italia habenti, ut a veneno ca-

veret, praedixerunt: in legatum consularem, qui auctor esset Prusiae per scelus occidendi hospitis, miserunt." Ceterum Plutarchum in verbis Livii minime haerere etiam ex hoc loco apparet.

Ac de his quidem locis certi aliquid dici potest, cum reliqui, ubi Plutarchus Livium citat, (Sull. c. VI cf. Liv. per. LXXVII. Lucull. XXVIII. per. XCVIII, Lucull. XXXI per. XCVIII. Caes., XLVII. per. CXI., Caes. LXIII.) ad eos Livii libros pertineant, qui perierunt. Sequitur altera quaestio multo illa quidem difficilior quaeque num unquam ad liquidum perduci possit, valde dubito: quatenus etiam aliis locis praeter eos, ubi ipse eum citat, Plutarchum Livium expressisse judicandum sit. Illud pro certo affirmari debet, nihil eum ex Livio sumpsisse in vitis Romuli, Numae, ubi Dionysium Halicarnassensem, Publicolae, ubi Valerium Antiatem exprimit, Pauli Aemilii. In hac enim quamquam cum Livio plerumque consentit, id tamen inde explicandum esse, quod uterque Polybium expressit, comparatio eorum, quae quisque eorum scripsit, certo evincit (cf. Lachmann comm. II p. 59 Plut. c. XI seqq. Liv. XLIV. 22 seqq. et Polyb. XXIX. 1 seqq. Plut. cap. XXXI, Liv. XLV. 37, cf. Plut. Polybium c. XV. XVI. cf. Heeren l. c. p. 128 seqq.)

Jam vero sunt quidem etiam in reliquis vitis haud pauci loci, ubi non solum de rebus, sed de singulis fere verbis inter Plutarchum et Livium convenit, cf. Camill. c. V. et Liv. V. 19—22, Camill. X Liv. V. 27, Camill. c. XII—XVI Liv. V. 32. seqq., Camill. XXXI. XXXII. Liv. V. 49 seqq.; sed hi omnes ita comparati sunt, ut Plutarchus, cum alia, quae a Livio narrantur, omittat, in reliquis res fusius quam Livius describat et alia addat, quae quamvis per se parvi sint momenti, eum neque sibi ipsum confinxisse neque ex Livio sumpsisse apparet. Idem valet de vita Fabii Maximi, cf. Fab. Max. c. II de prodigiis et Liv. XXII. 1. 8. seqq. et Lachmann comm. II. p. 44, qui Plutarchum eodem fonte atque Livium usum esse recte suspicatur, Fab. Max. c. III de pugna ad Trasumennum facta, cf. Liv. XXII. 3—8, qui se Fabium Pictorem secutum esse dicit c. 7. 4, sed quem addit Plutarchus numerum captorum, is a Livio c. 7. non commemoratur, Fab. c. XIV. Liv. XXII. c. 32. c. 38. Etiam in vita Marcelli Plutarchus cum Livio consentit, sed ubicunque Polybium inspicere nobis licet, hunc neque vero Livium ab eo expressum esse intelligimus, cf. c. XIV. ὑπὲρ δὲ μεγάλου ἐξάγματος

νεων ὑπὸ κτλ. Polyb. VIII 3, 6. ἅμα δὲ τούτοις ὀκτὼ πεντήρεσι. Livius ubi idem strategema describit l. XXIV. 34. 6 numerum navium non indicavit, „junctae aliae quinqueremes" etc. In primis notanda sunt ea, quae a Plutarcho inde a cap. XXIV (ex. Livio) usque ad cap. XXVII scripta sunt: sunt enim haec singula fere, quibus Livius XXVII c. 1 e. 4 e. 12 usus est, verba sermone graeco expressa. Sed etiam hoc loco quae exstant sub fin. c. XXV. δι' ἃ πολλῶν ἀπὸ τῆς μάχης ἐπικινδύνως καὶ πονήρως ἐχόντων οὐδένα φασὶν ἢ οἱ Μαρκέλλου λόγοι τῶν τραυμάτων οὐχὶ μᾶλλον ἤλγυνον. Item quae sub fin. c. XXVI scripta sunt, a Livio non narrantur. Similique modo etiam in prioribus hujus vitae partibus Plutarchus in universum cum Livio consentit, singulas res fusius quam ille describit.

Ex vita Catonis praeter eum locum, ubi Plutarchus Livium citat, ea sola huc pertinent, quae cap. XIX de censura Catonis exponuntur. Haec ex Livio desumpta sibi videri jam Sigonius adnotavit, v. Liv. XXXIX. 44, eumque nuper secutus est Sintenisius ed. Cat. praef. p. 22. Et in eis, quae praecedunt, et in eis, quae sequuntur, Plutarchus a Livio dissentit, qui quem auctorem secutus sit nescimus. Saepius denique cum eo consentit in vita Flaminini, sed etiam in hac, cum, quem Livius secutus est, Polybium inspicere non possimus, Plutarchus utrum hunc an illum expresserit, incertum est.

Si igitur omnia, quae hucusque de Plutarcho disputata sunt, paucis comprehendere voluerimus, haec fere sunt. Exstant loci nonnulli, ubi ipse Plutarchus Livium citat. Sed ei majore ex parte ita comparati sunt, ut aut, utrum ipsos Livii annales inspexerit, an nomen ejus ex alio scriptore transscripserit, jure dubites, aut eum Livium parum accurate expressisse dicas. Sunt deinde alii loci, ubi Plutarchus cum Livio penitus consentit, sed id ideo factum esse, quia ex eodem auctore hauserit, certis argumentis evincitur. Restant denique alii, quibus et ipsis cum Livio consentit, sed utrum hunc an eosdem cum eo auctores secutus sit, ideo discerni nequit, quod horum libros inspicere nobis non licet. Accedit, quod hi loci plerique omnes ita comparati sunt, ut ea, quae ex Livio deprompta esse videri alicui possint, aliis sint admixta a Livio alienis. Jam vero scimus, Plutarchum eorum auctorum, quos per eas operis sui partes, de quibus hoc loco sermo esse potest, primarios duces Li-

vius secutus est, Fabii et Polybii libros graeco sermone illos quidem compositos, et ipsum cum nosse tum adusse eundem litteris latiois provectiore demum aetate operam dedisse nec multum in eis profecisse: denique veterum historicorum cum fuisse morem, ut auctores suos ad verbum fere exprimerent (cf. C. Peter, d. Verhältnisse des Livius u. Dionysius Hal. zu einander u. zu den alten Annalisten p. 7 seqq.). His omnibus igitur ideatidem reputatis Plutarchum praeter eos locos, ubi ipse Livium citat, hunc quam rarissime adhibuisse, sed nomen ejus ostentationis causa et ne principem historicorum romanorum prorsus neglexisse videretur, operi suo passim inseruisse, reliquis denique locis, ubi cum eo consentit, eosdem auctores secutum esse judico.

§. 5.

Appianus Alexandrinus

Appianum, qui in bellis civilibus se Livium adhibuisse ipse testatur (bell. civ. III 77), in eis operis sui partibus, quae hoc loco in censum veniunt, ejus historia usum esse nego, cum quo quod in Macedonicis et Syriacis plerumque consentit, id inde explicandum esse dico, quod uterque Polybium expressit (cf. Niebuhr H. R. II. p. 98).

§. 6.

Cassius Dio Coccejanus.

Cassium Dionem Nicaeensem, qui intra annos 201 et 222. p. Ch. n. octoginta rerum romanorum libros confecit, Livii annales cognitos habuisse ut per se verisimile est (fr. 1. 2 ed. Bekk.), ita etiam eo confirmatur, quod ipse ubi res a. u. c. 666 gestas narrat (fr. 102. 1), eum citat. Atque in posterioribus quidem operis sui partibus multa eum ex Livio hausisse vel ex paucis intelligi potest (cf. R. Wilmans, de fontibus et auctoritate Dionis C., cap. III, qui eum inde a lib. XXXVII usque ad lib. XLIII Livium primarium ducem secutum esse demonstrare studuit). Jam vero eundem quomodo eis Livii libris, qui ad nostram aetatem duraverunt, usum esse putandum sit, si quaeritur, quod facere hoc loco nostrum est, cum priorum Dionis librorum pauca tantum fragmenta ex-

stent, pauca sunt nec ea quidem certa, quae dici possunt. Inveniuntur enim sane inter fragmenta illa nonnulla, quibus quae continentur, ita cum eis, quae de eisdem rebus Livius litteris mandavit, conspirant, ut, si quis Dionem Livium secutum esse contendat, nihil habeas, quod contra dicas. Haec igitur breviter indicabo. Ac sunt eorum pauca, ubi ipsa Livii verba graece expressa agnoscere tibi videaris, v. quae scripta sunt de diro jurejurando, quo Samnites ante proelium se obstrinxisse dicuntur, fr. 36. 29. θάνατον μὲν προειπόντες, ἄν τις ἐν αὐτῶν οἴκοι καταμείνῃ, καὶ ὅρκοις τισὶ φρικώδεσι καταλαμβάνοντες μήτ' αὐτόν τινα ἐκ μάχης φεύξεσθαι καὶ τὸν ἐπιχειρήσαντα τοῦτο ποιῆσαι φονεύσειν, cf. Liv. X. 38. 10. „Jurare cogebant diro quodam carmine in execrationem capitis familiaeque et stirpis composito, nisi isset in proelium, quo imperatores duxissent, et si aut ipse ex acie fugisset aut, si quem fugientem vidisset, non extemplo occidisset.“ Ex iis, quae ad primam Livii decadem pertinent, praeterea conferri possunt fr. 35. 11 et Liv. VIII. 21. 1 seqq., fr. 24. 2 et Liv. V. 27, fr. 28 et Liv. VI. 20, fr. 29 et Liv. VI. 24. 5 seqq. fr. 36. 8. et Liv. VIII. 39. Sed confitendum est, eodem jure atque ad Livium haec omnia ad Fabium Pictorem referri posse, quem in his operis sui partibus Dionem pro primario duce habuisse probabiliter conjecit Niebuhrius, cf. Schol. de hist. rom. ed. Isl. I. p. 62. Etiam magis res dubia est de eis fragmentis, quae ad bellum Punicum secundum et res in Graecia, Macedonia, Syria gestas pertinent (fr. 54—70), ubi Dionem praeter Fabium alterum quoque ex primariis Livii auctoribus, Polybium, adhibuisse indicio est fr. 69. coll. c. Liv. XLV. 44. exc. et Polyb. XXX. 16. Sunt autem etiam inter haec fragmenta complura, quae ad similitudinem verborum Livii quam proxime accedunt, v. fr. 57. 4 et 16 seqq. et Liv. XXI. 42. XXII. 23. c. 26. c. 27. fr. 57. 39. „οὐδὲν γὰρ οὔτ' οὖν δημόσιον οὔτ' ἰδιωτικὸν πρὶν ἔς τε τὸ Καπιτώλιον ἀναβῆναι καὶ χρόνον τινὰ ἐνδιατρῖψαι ἐνεχείριζετο“ et Liv. XXVI. 19. „nulla die prius ullam publicam privatamque rem egit quam in Capitolium iret ingressusque aedem consideret et plerumque solus ibi in secreto tempus tereret.“ Atque hoc quidem fragmentum eo magis notandum est, quia etiam in eis quae sequuntur Dio cum Livio prorsus consentit (v. Liv. XXVI. 20. c. 47. seq. XXVII. 17. XXVIII. 34. seq.) cf. potissimum fr. 43 et 44, ubi eum Livium secutum esse inde concludere possis, quod Allucium nominat,

rujus nomen a Polybio praetermissum Livius, qui in reliquis Polybium sequitur, aliunde accivit. Quae fr 57, 57—61 continentur, aut ex Livio aut ex Polybio sumpta sint necesse est, v. Liv XXVIII 6 seqq Luchsson comm II p 56. Quod enim sub finem in prodigiis enarrandis Dio a Livio dissentire videtur, hunc, cum et Livii et Dionis verba in codd corrupta et lacunosa essent, nihil concludi potest. Ex Polybio desumpta sunt, quae continentur fr 57 82, v Polyb XV 18 et Liv XXX 37. In iis, quae deinde secuntur, Livius et Dio consentiunt, cf potissimum fr 66 et Liv XLIV 23 seqq, fr 66 3 et Liv XLV 5, fr 68 et Liv XLV c 10 20 25. Quae cum ita sint, quamquam certam sententiam proponere audacius fuerit, tamen in Niebuhrii partes inclino, qui Dionem per priores operis sui partes Livii annales adiisse negavit. Parum enim verisimile videtur, quem tanta cum cura ac religione, quos sequeretur, auctores sibi elegisse scimus, ex Livio quam ex eis historicis, quorum ex auctoritate ipse Livius pendet, quorumque libris Dio alibi usus est, haurire maluisse.

§ 7

Eutropius. Aurelius Victor

De Eutropio, qui quo tempore historiae romanae breviarium scripserit, eo definitur, quod ad Valentem imperatorem id misit, in universum, quod ad priora tempora attinet, recte Suidas judicavit, cum s. v Capito haec scriberet: μετάφρασιν τῆς ἐπιτομῆς Εὐτροπίου Ῥωμαϊστὶ ἐπιτεμόντος Λίβιον τὸν Ῥωμαῖον. Quamquam enim eum praeter Livium alios auctores adhibuisse immerito negavit Niebuhrius (Schol. ed. Ital. I p 58.), illum tamen pro primario duce habuit, quem in toto rerum ordine et dispositione sequeretur et ex quo quae hausit, eis passim aliunde petita adspergeret. Velut a Livio non relata sunt, quae Eutropius I 1. de tempore, quo urbs Roma condita sit, scribit, cf Vell. Paterc I 8. Deinde usque ad finem hujus libri nullum praeter Livium auctorem inspexisse videtur, ab ipso enim Eutropio sine dubio profecta neque vero ex alio fonte petita sunt, quae compluribus locis de spatus, quae inter urbem Romam et singula, de quibus agitur, loca intercedunt, exponuntur (cf lib I 4 5 8 17 18 lib. II 8 et saepe alibi). At compluribus a Livio dissentit in eis, quae sub finem hujus libri c. 20 de

urbe a Gallis capta et per Camillum liberata tradit, cf. Liv. V. 49. Atque etiam de eo, quod ab initio libri secundi tradit, primos post urbem captam anno tribunos militari potestate creatos esse, parum inter eum et Livium convenit, qui a. u. c. 310 id factum esse auctor est (v. Liv. IV. 7). Sed saepius ab eodem recedit in exponendo bello Punico secundo, cf. lib. III. 8. de copiis Hannibalis et Liv. XXI. 38. 4; Eutrop. III. 7. „annum agens vicesimum aetatis" Liv. XXI. 3. 2. ibiq. interprett. Lachmann comm. II. p. 34; ejusdem libri cap. 10. accuratius definit numeros caesorum quam Livius XXII. 49. 56.; c. 11. quae leguntur inde a verbis „perditque in pugna etc." a Livio non referuntur, v. lib. XXIII. 29. In eis, quae cap. 14. de rebus a Laevino in Sicilia gestis narrat, recedit a Livio XXVI. 40, qui Hannonem, quem Eutropius captum et cum captivis nobilibus Romam missum esse refert, cum paucis ad mare pervenisse et in Africam trajecisse tradit. Numerum eorum, qui cum Fulvio proconsule (consule Eutrop.) ad Herdoneam caesi sunt, eundem refert Eutropius atque Appianus Hann. 48, ab utroque recedit Livius XXVII. 1. 13. Ex Livio non deprompta sunt ea, quae lib. III. 16. de Tarento capta (v. Liv. XXVII. 40.) et de rebus a L. Scipione in Hispania gestis (Liv. XXVIII. 12. seq.) narrantur, pariterque cap. 19. Eutropius cum Appiano (Hann. c. 57.) potius quam cum Livio (XXVIII. 41. fin.) consentit. Denique ordinem rerum a Scipione in Africa gestarum, quae exponuntur lib. III. 21. usque ad finem hujus libri, prorsus aliter describit atque a Livio lib. XXX. expositum esse videmus. Quae deinde secuntur usque ad lib. IV. c. 9, omnia exceptis eis, quae cap. 5. de sepultura Hannibalis aliunde petita addidit, ex Liv. libb. XXXI—XLVI. desumpta sunt.

Hinc Eutropius quin praeter Livii annales aliorum auctorum libros inspexerit, dubium esse nequit. Neque magis adducitur possum alteri conjecturae, quam Niebuhrius l. c. proposuit, Eutropium pariter atque Orosium non ipsos Livii annales, sed epitomen aliquam eorum ejus, quae etiam nunc exstat, similem legisse suspicatus. Praeterquam enim, quod ab Orosio saepe ipsa Livii verba exscripta esse videmus, certa vestigia, quae de tali epitome cogitare nos cogant, neque in Eutropio neque in Orosio deprehendere potui, qui si aliam atque Livius temporum rationem secuntur, id ex instituto aliquo sui temporis fecisse videntur, quippe qui eandem sequantur, ubi aperte ex Livio non hauserunt.

Porro si quaeritur, quasnam res Eutropius ex Livio excerpserit et quomodo eas reddiderit, concedendum est, eum inter omnes de quibus hoc loco agendum nobis est historicos latinos fere unum satis sobrio judicio ejus annalibus usum esse. Quod enim ipse se suscepisse ad munus, non magni sane neque laboris neque judicii, ut res romanas, quae in negotiis vel bellicis vel civilibus eminerent, per ordinem temporis brevi narratione strictim colligeret (v. praef. ad Val. imper.), eo pro tempore, quo vixit, haud ita male perfunctus est. Itaque res summi ubique momenti elegit et quam paucissimis verbis accurate exposuit, quibus antiquissimorum temporum historia continetur fabulas, quaeque magis ad singulos homines quam ad universum populum pertinere viderentur narratiunculas praetermisit, loca denique et tempora accurate et curiose definivit, unde eum hominem in usu vitae bene versatum fuisse suspiceris. Nusquam consilio res mutavit, rarius quam ceteri ejusdem generis historici erravit, cf. I. 7. ubi Sabinos confudit cum Etruscis, Liv. I. 42., Eutrop. II. 1., ubi perperam Satrinos in numero hostium populi romani habet eorumque exercitum a Romanis deletum, urbem occupatam esse refert, quam ab Aequis occupatam Livio auctore 5. VI. Romani recepere et Sutrinis reddidere; Eutrop. II. 6, ubi quod tradit, decem legiones adversus Gallos scriptas sexaginta armatorum milia effecisse, de suae aetatis legionibus cogitavit, cf. Liv. VII. 25. 9. et Lange, Roem. Alterth. I. p. 380; Eutrop. III. 15, ubi Magonem, Hannibalis fratrem, cum altero Magone confudit, v. Liv. XXVI. 49. 1.; Eutrop. IV. 4, ubi Eumenem Attali regis fratrem fuisse narrat, qui fuit filius ejus. Saepius diversos magistratuum titulos permutavit, cf. III. 52. „Marcellus consul,“ v. Liv. XXIII. 40. 10, Eutrop. ibid. „T. Manlium Torquatum proconsulem,“ Liv. XXIII. 34. 15, XXIII. 40, Eutrop. III. 14. „Cn. Fulvium consulem,“ v. Liv. XXVII. 1. Interdum nimio brevitatis studio res minus accurate exposuit, cf. I. 6, ubi Tarquinium Priscum numerum senatorum duplicasse refert, cum Livius I. 35. eum ad ducentos, qui jam ante eum fuerint, patres centum addidisse auctor sit, nisi forte Eutropius hoc loco alium auctorem secutus est, cf. Cic. de rep. II. 20. „duplicavit pristinum patrum numerum“, Lange l. c. p. 285, Eutrop. I. 8, ubi eundem Tarquinium pacem cum Tuscis fecisse narrat, quem foedus jam ante ictum renovasse Livius I. 55. refert. Ipse denique

Livii verba rarissime ac ne tum quidem, ubi ipsa res id ex parte cogere videbatur, in foederum legibus, ab Eutropio scripta esse videmus, cf Eutrop IV 7 et Liv XLV 18, Eutrop ibid „(Aemilius Paulus) dicens ejusdem hominis esse debere et bello vincere et convivii apparatu elegantem esse“ cf Liv XLV 32 fin „vulgo dictum ipsius ferebant, et convivium instruere et ludos parare ejusdem esse, qui vincere bello sciret.“

Merito in eorum historicorum numero, qui Livii annalibus usi sint, etiam is habetur, qui libellum de viris illustribus composuit, quem brevitatis causa ex more recepto Aurelii Victoris nomine denotabo Quamquam singulis quidem locis non Livium secutus sit, idem saepe dubitis, quod primum juxta Livium aperte alios auctores passim adhibuit, (cf c. XXIV 1 et Liv. VI 20 7 et Plin N. H VII 28 103), deinde vero inter illos etiam eos, qui et ipsi quae tradunt ex Livii annalibus hauserunt, denique res plerumque tam breviter perstringit, ut, quemnam illorum secutus sit, ob id ipsum discerni saepe nequeat, cf c. LIV, ubi Florum eum secutum esse eo demonstratur quod errorem ab illo de Lysimacho admissum (Flor 1 24 [II 8 7]) alio errore cumulatum reperit; Aurel Vict c XLIX 8 et Flor. 1 22 (II 6 40) et Liv XXVI 49 seq A V LI 4 „Nemesis pronuntiavit“ et Flor 1 23 (II 7 14) Liv XXXIII 32; A V c XVI 2 et Flor 1 5 (II 3) Valerium Maximum secutus esse videtur c XXV, v. Val Max III 2 4 ibique Kempf; cf A V c XLIV et Val M VII 5 2 At quamquam haec ita sunt, aliis ex Livium pro auctore fuisse eo certo docemur, quod ipsa ejus verba secivil, cf A V XXXI 6. „et cum eum metu mortis attonitum vidisset, incommodum ambulantibus radicem excidi jussit“ v Liv IX 16. 18 „ad quam vocem exanimi stante Praenestino ‚agedum, lictor, excide radicem hanc, inquit, incommodam ambulantibus‘“ A V c LII 2 et Liv XXXVIII 8 5. Ex quibus quae continentur, omnia ex Livio desumpta sunt, pauca restant capita, velut cap IX L Tarquinius Collatinus et Lucretia uxor, c XXIX M Valerius Corvinus, c XXX Sp Postumius, c XXXI L Papirius Cursor, c XLVIII C Claudius Nero, c L M Livius Salinator, c LI T Quinctius Flamininus, c. LIII L Scipio Asiaticus, pleraque eis, quae ex Livii annalibus deprompsit, alia aliunde petita admiscuit. Velut quae continentur cap II pleraque omnia hausta sunt ex Liv 1 1—47, quibus aliunde sunt addita explicatio nominis

Lucerum § 11, cf Liv I 13 8, et quae in fine capitis de divino Romuli cultu exponuntur. Consulto nunquam res corrupisse aut exornasse videtur, saepe errore labitur, cf c XXXIV 4, ubi Appium Claudium Crassum (Liv VI 40) cum Appio Claudio Caeco confudit, c LI 1, ubi T Quinctium Flamininum appellat Flaminium et ejus Flaminii, qui in pugna ad lacum Trasumenum commissa periit, filium fuisse refert

§ 8.

Orosius.

De Orosio Hispano, qui septem historiarum adversus paganos libros intra annum 414 et 417 p Ch n confecit, ut brevior, quam fortasse aliquis exspectaverit, esse possim, duabus de causis fit Primum enim tota de eo, quaks nobis hoc loco instituenda est, quaestio minus intricata atque impedita est, quam in reliquis, de quibus egimus, historicis, quia in eis historiarum ejus, de quibus hoc loco judicandum est, partibus, quos ille adhibuit auctores, sunt pauci eorumque omnium libri ad nostram aetatem manserunt, ut, quomodo unoquoque usus sit, facili negotio dignosci possit Deinde is, qui ante hos sedecim annos de Orosii vita ejusque historiarum libris libellum composuit, Th de Moerneros (diss inaug Berl 1844), etiam de auctoribus ejus accurate egit, ita ut ejus vestigiis etiam hoc loco, ubi peculiariter de Livio agendum est, insisti possit

Atque Orosium hujus annalibus usum esse, si hac argumentatione opus esset, eo demonstratur, quod tribus locis eum citat (v Oros III 21 p 197 et Liv X 30 Oros VI 16 p 415. et VII 2. p 435 Liv. per CIX et Freinsh. suppl c 39.) Possetne ob id ipsum fortasse aliquis putare, eum interdum tantum illos inspexisse qui tamen quantum a vero aberraret! Jam dudum enim inter viros doctos constat, Orosium quae de rebus romanis tradit, quantum ei licebat, pleraque omnia ex Livii annalibus hausisse, et in eis quidem operis sui partibus, ubi illos conferre nunc licet, praeter Livium, Florum, Eutropium nullum adhibuisse auctorem (v Moerner l. c p 50) Qui sicubi aliorum historicorum mentionem facit (velut Valerii Antiatis, Claudii Quadrigarii, Polybii IV 20 p. 270, v Liv XXXIII 10 7; Fabii Pictoris IV 13 p 249,

v. Eutrop. III 5), horum nomina ex illis transscripsit. Quod si ita est, inde sequitur, ut, cum Florus et Eutropius quae narrant pleraque omnia ad Livium auctorem referenda sint, Orosium in prioribus historiarum partibus fere solius Livii ex auctoritate pendere dicamus. Ceterum in plerisque hunc ipsum sequitur, cujus ex libris quae hausit, eis pauca ex Flori, plura ex Eutropii epitomis petita admiscuit. In ea ipsa autem rerum ex diversis auctoribus desumptorum conglutinatione quam parum prudenter versatus sit, inde intelligitur, quod passim eandem res bis narrat, quippe qui eum, quae eaedem erant, a diversis auctoribus expositas legeret, eas pro diversis haberet. Inde explicandum est, quod IV. 14 p. 253. bis ad Trebiam pugnatum esse tradit, quod IV. 14 p. 253. duobus locis de clade atque morte M. Claudii Marcelli exponit, quorum altero Eutropii verba excripsit (Eutrop. IV. 15), altero Livium sequitur (non recte de hoc loco judicasse videtur Mauraerus l. c. p. 119); cf. praeterea l. IV. c. 20. sub init. et Eutrop. IV. 1, Liv. XXXIII. 10.

Jam si quaeritur, quas res ex Livii annalibus excerpserit, quaque fide eas ac diligentia reddiderit, de ea re priusquam agatur, quo consilio Orosius historias scripserit, paucis iudicandum est. Id vero quale fuerit, ipse praefatione ad Augustinum primo libro praefixae p. 3. his verbis exponit: „Praeceperas mihi, ut scriberem adversus vaniloquam pravitatem eorum, qui pagani vocantur, — qui cum futura non quaerunt, praeterita autem aut obliviscuntur aut nesciunt, praesentia tantum tempora veluti malis extra solitum infestissima ob hoc solum, quod creditur Christus et colitur Deus, idola autem minus coluntur, infamant, — praeceperas ergo, ut ex omnibus, qui haberi ad praesens possunt, historiarum atque annalium fastis quaecunque aut bellis gravia aut corrupta morbis aut fame tristia aut terrarum motibus terribilia aut inundationibus insolita aut eruptionibus ignium metuenda aut ictibus fulminum plagisque grandinum saeva vel etiam parricidiis flagitiisque misera invenissem, breviter voluminis textu explicarem." His verbis quas in eligendis, quae narrarat, rebus leges Orosius sibi praescripsit, easdem in utendis Livii annalibus observavit. Sunt igitur clades aut universo populo aut singulis civibus, aut ab externis hostibus aut rerum natura illatae, prodigia, scelera, morbi, quae inde desumpta servato ordine temporis et specioso historiae rerum romanarum titulo praefixo exponuntur. De

judicio vero in hoc consilio sermonem esse non posse sponte intelligitur. Cum enim, quo majore temporum priorum horrore aequalium animos perfunderet, clades ubique quam maxime augere studeat, ubi de eadem re complures a Livio prolatae sunt sententiae, omissa, quae maxime probabilis sit, quaestione eam amplectitur, quae illi studio maxime inserviat. Velut ubi de proelio a Romanis cum Antiocho ad Thermopylas commisso exponit IV. 20. p. 272., auctore non nominato eos caesorum numeros tradit, quos Livius XXXVI. 19. 12., qui ipse Polybium sequitur, in Valerii Antiatis annalibus exstare refert, cujus mendiloquentiam et in numeris augendis levitatem graviter perstringit. In hac tamen perversitate utinam Orosius substitisset! Is enim quo magis rem suam adjuvaret, sibi ipse numeros confingere et res a Livio traditas mutare et invertere non dubitavit. Hinc igitur factum est, ut, cum Liv. VIII. 18. 10, cf. Val. Max. II. 5. 3., centum septuaginta matronas romanas veneficii damnatas esse tradat, Orosius III. 10. p. 166. trecentarum septuaginta numerum eas explevisse narret. Cf. Oros. IV. 13. p. 235 et Liv. XXII. 7. 1, Val. M. I. 8. 6., Oros. IV. 18, Liv. XXVII. 1., Oros. IV. 20., Liv. XXVI. 38. Multo vero major eorum locorum numerus est, ubi aut magna rerum mole obrutus et occaecatus, aut quia Livii verba obiter inspexit et perperam intellexit, aut nimio brevitatis studio lapsus res depravat et corrumpit. Velut Livius XXXVII. 34. filium P. Scipionis alios fuisse narrat qui traderent a Chalcide Oreum petentem a navibus regiis circumventum esse, alios, postquam transitum in Asiam esset, missum exploratum ad regis castra equitatu obviam effuso inter tumultum raptum, Orosius IV. 20. p. 273. de eadem re haec scripsit: „Antiochus filium Africani, quem *utrum explorantem an in proelio cepisset* incertum est, ultro remisit.“ Compluribus erroribus ea foedata sunt, quae Orosius paulo post scripsit: „Fulvius consul de Graecia in Gallograeciam transvectus ad Olympum montem pervenit, ad quem universi Gallograeci cum conjugibus et liberis confugerant, ibique acerbissimum bellum gessit, namque de superioribus locis sagittis, glandibus, saxis, ceterisque telis Romani graviter contriti tandem usque ad congressum hostium pervenerunt.“ Primum enim horr omnia non Fulvio, sed Cn. Manlio duce facta sunt, v. Liv. XXXVIII. 12. 1. „eisdem prope diebus, quibus haec a M. Fulvio consule in Aetolia gesta sunt, consul alter Cn. Manlius in Gallograecia bellum gessit.“

Prorsus autem Orosius rerum ordinem in iis subvertit, quae deinde secuntur. Livius enim XXXVIII 21 dilucide exponit, primo quidem Romanos et Gallos pares fuisse, illos varietate et copia armorum, hos loco adjutos, sed mox Gallos, cum nulla alia, quibus se defenderent, tela praeter gladios et ingentia saxa haberent, Romanorum sagittis, glande, jaculis ab omni parte confixos effusa fuga castra petisse, cf. Flor. I 27 (II 12. 5).

Sed haec ad demonstrandum quam negligenter et socorditer Orosius Livii annales inspexerit et quae inde hausit reddiderit, sufficiant, restat, ut, quatenus etiam externam orationis formam retinuerit, paucis adumbrem. Ac multis quidem locis eum ipsa, quibus Livius usus est, verba excripsisse, neminem, qui ea, quae huc pertinent, capita vel obiter oculis perlustraverit, effugere potest. Etiam hujus rei duo sufficiant exempla. Livius XXII 5. sub fin. de pugna ad lacum Trasumennum haec scripsit: „tantus fuit ardor animorum (armorum cod. Gud. J. F. Gronov.), adeo intentus pugnae animus, ut eum motum terrae, qui multarum urbium Italiae magnas partes prostravit avertitque cursu rapidos amnis, mare fluminibus invexit, montes lapsu ingenti proruit, nemo pugnantium senserit.“ Haec Orosius IV. 15 p. 255 ita transscripsit: „famosum hoc ad Trasumennum lacum certamen fuit tanta clade romana, maxime cum ita intentus pugnantium ardor exstiterit, ut gravissimum terrae motum, qui tum forte tam vehemens factus est, ut urbes diruisse, montes transtulisse, discidisse rupes, et flumina retrorsum coegisse dicatur, omnino non senserint.“ Liv. XXX 25. 11 seqq. de Hannibale in Africam revocato haec scripsit: „Hannibali jam terrae appropinquanti jussus e nauticis unus (enticusunus cod. Put.) escendere in malum, ut specularetur, quam tenerent regionem, cum dixisset, sepulcrum dirutum proram spectare, abominatus praetervehi jusso gubernatore ad Leptim appulit classem atque ibi copias exposuit.“ cf. Oros. IV. 19 p. 267 seq. „cui ad Africanum litus propinquanti jussus quidam e nauticis ascendere in arborem navalem atque inde speculari, quam regionem tenerent (l. tenerent), sepulcrum dirutum se prospexisse respondit. Abominatus dictum Hannibal deflexo cursu ad Leptim oppidum copias exposuit.“ cf. Oros. III. 8 ab init. et Liv. VII. 29 init. Ceterum vix est, quod dicam, non ubique Orosium verborum Livii tam tenacem esse, sed plerumque quae ex ejus libris hausit ad summam

brevitatem redigere Id vero ubi sine aliqua opera fieri non poterat, relicto integro Livii annalium fonte ad eos, qui et ipsi ex eis hauserunt, Florum et Eutropium, confugit, quos solos adhibuit lib II 4, quo capite res Romanorum sub regibus gestae continentur De Niebuhrii denique conjectura, Orosium non ipsis Livii annalibus, sed epitoma aliqua eorum usum esse auspicati, quid sentiam, jam supra indicavi

Cap II.

Quid ex eis historicis latinis atque graecis, qui T. Livii annalibus usi sunt, in Livii textu constituendo repeti possit, exponitur et exemplis illustratur.

§. 1.

Ut plurimorum scriptorum latinorum, ita etiam Livii historiarum codicum, quorum quidem certam notitiam habemus, nullum saeculo p Ch n sexto antiquiorem esse, inter omnes constat Saeculo enim VI vel VII adscribunt decadis V cod Vindob, saeculo VIII ineunti decadis tertiae cod Put, saeculo X primae decadis cod Par, saeculo XI ejusdem decadis cod Med, saeculo XI vel XII quartae decadis cod Bamb, reliqui codices praeter Vormaticensem primae et Moguntinum quartae decadis, quorum de aetate nihil compertum habemus, recentiores sunt. De codice Veronensi primae decadis, quem, qui novissime de eo disputavit, A W Zumptius, de Livianorum librorum inscriptione et cod antiquissimo Veron comment, p 17, saeculo vel quarto exeunte vel quinto ineunte exaratum esse auspicatus est, adeo etiam nunc res incerta est, ut rectius de ea taceas, quam meris conjecturis, quibus nihil adjuveris, indulgeas Ac saeculo sexto quid in codicibus Livii scriptum fuerit, id quidem fere ubique diversis diversorum codicum lectionibus inter se comparatis etiam nunc sciri potest. Jam vero si homini critico, qui in scriptoris alicujus verba in integrum restituendis operam collocavit, primum omnium curae esse oportet, ut testes quem dicunt

hujus scriptoris quasi historiam ex illo ipso tempore, quo liber, de quo agitur, ipsa auctoris manu scriptus fuit, per omnia deinceps saecula explorare student, ea habes in Livii textus historia, quam diximus, lacunam satis magnam, per quam codicum subsidio, ut nunc res se habet, destituti sumus. Attamen jam tum quinque saeculorum spatio interjecto orationem ejus minime pristinum ac genuinum candorem retinuisse, sed multis modis corruptam fuisse neminem effugere potest, ut adeo, id quod non solum ad Livium, sed ad omnes scriptores pertinet, longe maximam earum corruptelarum graviorum certe, quae nunc in codd. obtinent, partem illo tempore antiquiorem esse affirmare ausim, de qua sententia infra pauca exponere licebit (v. § 5.). Accedit, quod in singulis, quae aetatem tulerunt, partibus ab unius codicis, quamquam ut in prima et quarta decade, compluribus apographis propagati, auctoritate pendemus, cui quae peculiaria erant vitia, ea nobis cum iis, quibus jam saeculo sexto plerique omnes infecti erant, in unum confluxerunt. His igitur in difficultatibus unicum, ad quod confugere quoque uti nobis liceat, subsidium positum est in eis historicis veteribus, qui Livio usi sunt. Hos enim ejus annales pleniores atque integriores legisse, quam vel saeculo sexto ferebantur vel hoc tempore exstant, et ob id ipsum interdum in eis, quae illi scripserunt, vestigia ejus, quod a Livio scriptum in codicibus ejus nunc corruptum est, servata esse, per se sumi licet. Quare si omnis quaestio critica optime comparatur cum actione quadam judiciali, in qua codices sunt testium instar, qui artem criticam exercet, judicis partes agit, qui ex illorum auctoritate pariter atque suo judicio de uniuscujusque loci lectione judicium ferat, in Livii textu constituendo etiam historicos illos pro testibus, qui propius a Livii aetate absunt, eo locupletioribus, quique saepe ipsis Livii codicibus auctoritate praevaleant, habendos esse apparet. Quamquam etiam illud facile intelligitur, eam quaestionem, quam hoc loco de Livio instituimus, eodem jure pertinere ad omnes scriptores veteres. Eandem de Catullo aliquando instituit E. de Leutsch in „Goett. Gel. Anz." 1853. N. 197. p. 1961. sqq.

Attamen, ut id hoc loco statim dicam, ne quis nimis multum inde redundaturum esse speret, permulta novari posse putet, universae denique textus Livii tractationi criticae novam quasi lucem affundi existi-

met. Primum enim earum corruptelarum, quibus codices Livii infectos videmus, longe maxima pars ita comparata est, ut de rebus, quas ille narraverit, nulla existat dubitatio, laesa sit grammatica orationis forma. Hanc vero restituendam raro tantum ex eis scriptoribus, qui magis res ex Livio hauserunt quam verba ejus sciverunt, remedium peti posse apparet. Atque etiam ubi de sententia agitur, saepius, quamnam Livius proposuerit, quam quibus verbis usus sit, ex illis perspici licet. Deinde vero ea, quae adhuc exposui, eos qui huc usque in Livio emendando operam collocarunt, non prorsus fugerunt. In primis mihi hoc loco commemorandi sunt, quos jam supra commemoravi, Sigonius, Dukerus, Wesselingius, quorum hanc maxime ubique de eis historicis cogitasse, qui ex Livio hausissent, ex adnotationibus, quibus eum instruxit, concludo. A quibus viris quae praecepta esse vidi, quamquam omnia colligere in animo non fuit, graviora tamen adnotare ob eo, quod mihi propositum est, haud absonum esse visum est. Accedit denique tertium. Ego enim cum historicos graecos fere prorsus ex hac quaestione excludendos esse censuerim, latinorum, qui in censum veniunt, fere solis uti petuit Valerio Maximo et Floro, reliquorum, Orosii maxime, Eutropii, Aurelii Victoris, cum, quid in bonis eorum codicibus scriptum sit, etiam nunc nesci simus, fere nullus erat usus. Huic igitur rei ut quam primum subveniatur, etiam ob id, quod ad Livium inde redundaturum esse sperandum est, valde est optandum. His igitur et subsidiis usus et difficultatibus impeditus quae conferre posse videbar ad textum Livii emendandum, ea infra proposui. Ac primum quidem nonnullos deprehendisse mihi videor locos, qui tamen sunt haud ita multi, ubi et corruptam esse lectionem vulgatam, et qua ratione ea emendanda sit, ea docent, quae recentiores historici scripsere. In omnibus vero his locis eam summam legem tenui, ut nunquam ex eis, quae apud rerc. historicos exstant, de veritate lectionis alicujus Livii dubitarem, nisi ubi eam non recte habere aut sententia loci aut codicum lectiones demonstrarent. Adspersi data occasione alios nonnullos, quorum emendationem, si modo res mihi feliciter cessit, aliunde petivi. Haud raro etiam ea quae codices Livii praebent verba recte se habere et conjecturis virorum doctorum male tentata esse, recentiores historici mihi documento fuerant. Horum tamen omnes eos adnotare nemo, ubi

lectionem codicum veram esse neque de ea dubitandum, jam recentiores editores agnoverunt. Atque etiam recentiores historicos passim emendari posse ex Livio nonnullis, quae posui, exemplis docere studui. Denique vero — utque est res ea, cui equidem plurimum in tota hac quaestione tribuo — id judicium, quod nunc de mutua codicum Livii auctoritate, ex conjectura virorum doctorum illud ortum, pervagatum est, certis quibusdam argumentis firmare studui. Illud addo, rem a me nondum exhaustam esse, me minime esse nescium. Valde autem dolendum est, quod in eis nonnullium partibus, quarum de integritate vel maxime dubitandum est, quarta et quinta potissimum decade, ea ope, qua ipse usus sum, fere prorsus destituti sumus. Valerius Maximus enim quam pauca ex his libris hauserit, supra (cap. I § 2) indicatum est, pariterque reliqui latini, qui Livii usi sunt, historici ea, quae his libris continentur, ceteris brevius exposuerunt (Eutrop. IV. 1—9. Oros. IV. 20. Flor. I. 23—29 (II. 7—13), Graecos autem Polybium potius quam Livium secutus esse jure censuisse mihi videor.

Atque haec quidem in universum praefatus ad singulos scriptores singulorumque locorum tractationem transeo.

§ 2
Valerius Maximus

Valerio Maximo, ut inter eos, quos Livii nonnullibus usos esse certum est, historicos aetate primus est, ita etiam in emendando Livii textu propter eam potissimum, qua ejus libros compilavit, rationem primum tribuendum esse locum ex eis, quae supra (cap. I § 4) de eo disputata sunt, apparet. Ille enim cum non solum res a Livio petiverit, sed plerumque ipsa ejus verba leviter mutata transscripserit, inde efficitur, ut, ubicunque id factum esse intelligimus, eum fere pro ipsius Livii codice habeamus. Quamquam magna eum cautione eum adhibendum esse, quippe qui res non solum consilio saepe exornaverit et corruperit, sed etiam erroribus depravaverit, et ipsum ex eis, quae supra exposuimus, apparet.

Hoc igitur subsidio uti antequam a prima decade incipiamus, de ratione critica hujus decadis pauca exponere non ab re erit. Ac

totam quidem ejus tractationem criticam pendere a quinque codicibus, Mediceo (M.), Parisino (P.), Vormatiensi Rhenani, nunc, ut videtur, deperdito (V.), Leidensi primo (Leid. I), Harlejano I (Harl. I), inter omnes nunc constat. Proxime ad eos accedere videtur codex Einsidlensis, cujus tamen parvam tantum partem, H. Seppii illam quidem humanitate, conferre mihi licuit. De codice Bambergensi praeter ea, quae Hertzius (de vita etc. T. Livii prolus. p. XXXV) et Weissenbornius (de T. Livii vita ante ed. II Teubn. p. LXXVI et passim in adnot. crit.) adnotaverunt, nihil compertum habeo. Prae his recentiores mihi sunt faciendi, quippe qui ex eis originem trahunt. Intercedit autem inter illos ea ratio, ut omnes orti sint ex uno eodemque codice archetypo, sive ille is ipse fuit, qui a Victoriano et Symmachis sub initium saeculi p. Chr. n. quinti emendatus et subscriptione donatus fuerat, sive quod mihi quidem Madvigius nuper probavit (Emendatt. Liv. p. 5), aliquis ex illo ortus, recentiore demum aetate exaratus. Neque vero illorum quinque codicum eadem est auctoritas. Excellit enim unus Mediceus ita, ut interdum in eo solo vera lectio servata sit. Ad eum proxime accedit codex Parisinus, ita ut, ubi hi duo codices consentiunt, vel refragantibus ceteris, in eorum lectione plerumque standum, aut si eam falsam esse intelligimus, at in emendatione ab ea exeundum sit. Neque tamen desunt loci, ubi in codd. alioquin deterioribus Harl. I et Leid. I — nam cod. Vormatiensem, qui plerumque cum Mediceo consensisse videtur, cum de eo pauca comperta habeamus, silentio praeterire licet — in deterius aberrantibus codicibus Med. et Paris. veram lectionem servatam esse dicendum sit. Ubi vero omnes illi codices consentiunt, eam exhiberi lectionem, quae exstabat in codice archetypo, apparet. Qui ipse codex qualis fuerit, quo magis animo repraesentare coeperit, eo certius fore judicium de emendandis eis verbis, quae in nostris codicibus corrupta esse intelligimus, non est quod dicam.

Atque haec quidem, quae conjectura virorum doctorum reperta adhuc exposui, nunc locis ex Valerio Maximo allatis confirmare in animo est. Itaque primum nonnulla proponam exempla, quae codicibus Med. et Paris. suam vindicent auctoritatem. Velut Liv. V. 55. 1. centurio ille, cum Romae incensa in senatu de urbe relinquenda ageretur, in comitio haec exclamasse traditur: „signifer, statue signum, hic manebimus optime."

Sic codd. M P. hunc locum exhibent, contra ea pro „optime" scriptum est in cod. Leid. I. *optimum*, in Harl. I. *optimam*, in aliis ex recentioribus haec vox omissa est. Attamen his lectionibus nihil tribuendum esse, sed veram lectionem, quae sine dubio in ipso cod. archetypo exstabat, in codd. M P. servatam esse, docent quae de eadem re scripsit Val. Max. V. 4. 1. „Signifer, statue signum, hic optime manebimus." Is enim quin in suae aetatis Livii exemplaribus *optime* legerit, cum ipsa ejus verba transscripserit, dubitari nequit. Hujus loci similis est alter, qui exstat Liv. VIII. 6. 11. Ibi rectissime sine dubio editores recentiores inde ab Alschefskio ex codd. M P. et, ut videtur, etiam Leid. I. haec receperunt: „ut extis eadem quae somnio visa fuerant portenderentur," cum in recc. codd. plerisque omnibus pro „*somnio*" scriptum sit „*omnino*"; illud enim legisse videtur Valerius Maximus, cum, ubi eandem rem narrat, I. 7. 3., haec scriberet: „hostiarum exta somnio congruerunt." Ubi vero cum M P. consentiunt Harl. I. et Leid. I., fere semper Valerius Maximus cum iis facit. Velut nomen M. Fabii Dorsuonis Liv. V. 46. 2. in codd. M V. Leid. I. sic scriptum exstat: c. fabiua (fabius Leid. I.) dorsuo, in codd. P. Harl. I. levi errore „c. fabius dorsuu", idem Liv. VIII. 28. 1. in M P. Harl. I. Leid. I. — cod. V. sex priores tantum continebat libros — M. FabiumDorsum, cum in codd. recc. et edit. vett. pro *Dorsuone* utroque loco scriptum sit *Dorso*. Ac veteres quidem Livii editores usque ad Alschefskium deteriores codices secuti, cum praesertim etiam App. Celt. c. VI. (ed. Bekk.) eadem hujus nominis forma in codd. exstare videretur, praeter unum, quod equidem sciam, Rhenanum omnes fortem illum virum C. Fabium Dorsonem appellaverunt. Attamen recte recentiores editores rediisse ad lectionem optimorum Livii codicum jam Rhenano probatam ea demonstrant, quae in optimo Valerii Maximi codice Bernensi I. 1. 11. leguntur. Ibi enim cum a pr. m. scriptum fuisset „durso sun", e correctura deinde positum est „dors suo", in margine denique nota λ apposita (v. de hac nota Kempf. praef. p. 79. et in addendis) ex Paridis, ut videtur, epitoma petitum, quem meliore Valerii codice usum esse quam is fuit, ex quo nostri ejus libri mss. orti sunt, C. Halmius docuit (Emendatt. Valerianae, Monac. 1854), adscriptum est „dorsuo". Atque cum hoc loco primum occurrat occasio, ut mentionem faciam rei, ad quam infra saepius nobis recurrendum erit, cum non prae-

termittam. Facile enim intelligitur, codices eorum historicorum latinorum, quos Livii omnibus usos esse certum est, in scribendis nominibus propriis, quae dicuntur, modo per se bonae notae sint, prorsus eandem sibi vindicare auctoritatem, atque ipsos Livii codices, siquidem non putandum est, illos ea nomina, quae in exemplaribus Livii scripta inveniebant, perperam transcripsisse aut consilio mutasse. Idem non valet de Graecis, quippe qui saepe formas graecas scripserint. Ceterum quam difficile saepe sit in hac quaestione, quae est de nominibus propriis, dijudicare, uno comprobabo exemplo. Qui Liv. V 40 9. commemoratur homo de plebe, in codd. M P audit *Albinius*, in Harl. 1 Leid. I race. *Albinus*, in Bamb. *Atinius*, Val. Max. I. 1. 10. in codd. BCDEA a p m *Afranius*, in Par. at A e corr. *Albanius* (cf. Car. Halm Emendatt. Val. p. 18), in Nepot. *Albanius*, Flor. I. 7. (13. 12), in codice optimo Bamb. *Atinius*, in Naz. *Albinius*, Plutarch. Cam. c. XXI 'Ἀλβῖνος. In hac tanta lectionum varietate quis definire aliquid possit? Nisi quod illa quidem certa esse videntur, primum in cod. Livii archetypo exstitisse aut *Albinius* aut *Albinus*, quorum illud propter consensum codicum MP majorem habet veri speciem; deinde in codice Valerii antiquissimo, ex quo et codex archetypus nostrorum codicum Valerii ortus esse putandus est et Paridis epitome, quarto aut quinto p. Chr. n. saeculo ut videtur composita (v. Kempf praef. p. 66), ducta, scriptum fuisse *Albanius* sive *Afranius* — nam utrumque ad idem redit — ita ut hoc ab ipso Valerio profectum esse valde sit verisimile. Magis dubitari licet de tertia hujus nominis forma, quam exhibent cod. Bamb. Livii et cod. Bamb. Flori. Consensui enim horum duorum scriptorum codicum non multum tribuendum esse judicaverim atque adeo vereor, ne, cum eodem loco et nunc adservantur et olim exarati esse videntur, nomen illud ex altero in alterum correctum sit. Attamen etiam hanc lectionem jam satis antiquo tempore exstitisse inde efficitur, quod codex Flori Bamberg. nono saeculo exaratus esse dicitur (v. O. Jahn praef. ad Flor. p. V). Plutarchus denique quod consentit cum Leid. I et Harl. I, id praeterquam quod, num ille Livium secutus sit, est dubium, etiam ideo minus facit contra codd. M P, quod scriptores graeci in scriptura eorum nominum latinorum, quae finiunt in -ius et -us, minime sibi constant, sed inter utramque formam fere fluctuant. Itaque si omnia, quae hucusque disputata sunt, in unum colligimus, nihil aliud

restare videtur, nisi ut dicamus, jam primis p. Chr. n. saeculis nomen illud in aliis Livii exemplaribus aliter scriptum fuisse. Nec deest aliud exemplum quamvis non ab omni parte certum, quo, quam antiquae corruptelae Livii annalibus inhaereant, doceamur. Liv. V. 46. 2 enim C. Fabius Dorsuo ille, cujus de nomine supra exposuimus, „Gabino cinctu sacra manibus gerens" de Capitolio descendisse traditur, ut sacrificium genti suae statum in colle Quirinali perficeret. At pro eo, quod in edd. nunc exstat „gabino cinctu", in codd. M. P. Leid. I. Harl. I. scriptum est „gabina (gabo M.) cinctus", et „gabin cinctus" etiam in cod. V. exstitisse Rhenanus tradit, unde eam fuisse lectionem archetypi concludimus. Editores cum intellegerent, „gabina cinctus" recte latine non dici posse, id quod exspectamus, „gabino cinctu", aut quod a Livio scriptum fuisse nuper suspicatus est Weissenbornius, „gabino cinctu cinctus" (cf. Liv. VIII. 9. 9. Verg. Aen. VII. 612), illud in ordinem verborum receperunt. Jam vero permirum est, eandem lectionem, quam exhibent codd. Livii, etiam in epitome Paridis exstare, unde nota λ. ut solet addita adscripta est in margine codicis Bernensis Valerii I. 1. 11., cum hujus codicis ad unum omnes praebeant „gabino ritu cinctus". Atque etiam in Livii verbis aut „gabino ritu cinctus" scribendum esse, quod factum est in cod. Havero et in margine cod. Lovel. V., aut „gabino cinctu" aut „gabino cinctu cinctus", quae mutatio sane facillima esse videtur, cum illa altera lectio nulla analogia defendi possit, dubium esse non potest; attamen corruptelam illam antiquissimam esse, quae in Paridis epitome exstant, demonstrant, sive ille eam in suo Valerii exemplari invenit, sive in Livio legit, quem sane interdum inspexisse videtur (v. Kempf. praef. p. 52).

Transeo ad aliud. Eis enim duobus locis, quos modo posui, cum jam Valerii tempore Livii verba corrupta fuisse dicendum sit, exstant alii, ubi ea, quae hodie in Livii codd. perperam scripta sunt, Valerium recte scripta legisse ea demonstrant, quae posuit. Etiam hujus rei duo adscribam exempla. Liv. V. 55. 2. enim (narratur omen illud de signifero, quod supra ob aliam causam commemoravimus) in codd. M. P. Harl. I. Eres — de Leid. 1 nihil traditur — sic scriptum exstat: „cum — cohortesque ex praesidiis revertentes forte agmine forum transirent", quod ipsum in cod. archetypo exstitisse docet librorum illorum

consensus. In his verbis quod aperte obtinet mendum, agnovere editores, qui pro „ex praedis“ scripsere „ex praesidiis.“ Id ipsum vero Valerium in suo Livii exemplari legisse docent ea, quae ab eo I. 5, 4 illa ipsa Livii verba exprimente scripta sunt „forte eo tempore praesidiis cohortibus redeuntibus.“ Simile exemplum exstat. Liv. V. 21. 16, ubi in codd. M. P. et plerisque omnibus recentioribus haec exstant: „idque omen pertinuisse postea eventu rem conjectantibus visum ad damnationem ipsius Camilli.“ Etiam hoc enim loco mendum, quod inest in verbo „pertinuisse“, jam in cod. archetypo exstitisse ut intelligimus, ita Valerii tempore nondum fuisse et ab editoribus, qui pro „pertinuisse“ scripserunt „pertinuisse“, recte correctum esse docemur eis, quae ille I. 5. 2. scripsit: „quod omen ad damnationem, qua postea oppressus est, pertinuisse visum est.“ Simul vero et quatenus in cod. archetypo corruptelam patuisse putandum sit his exemplis docemur, et quam curiosa ex eo descripti sint ei nostrorum codicum, quos pro optimis habemus, quippe in quibus menda reliquantur, quae qui eos scripserunt, si sermonis latini vel mediocriter gnari erant, facile corrigere poterant, sicut factum est in nonnullis recentioribus codicibus. Ac facile alicui haec omnia pusilla esse videantur nec quae commemorentur digna, praesertim cum quin recte editores eandem lectionem correxerint nemo hodie dubitet, sunt tamen ea certa atque firma quaedam argumenta, quae cum in omni vitae parte, tum vero in litteris nunquam sunt parvi facienda.

His jam absolutis, quae de prima decade commemoranda mihi restant, servato librorum ordine infra proponam. Ac Liv. I. 45. 5. postquam narratum est, in Sabinis bovem miranda magnitudine et specie natam fuisse, in codd. haec excipiunt: „Habita, ut erat, res prodigii loco est et cecinere vates, cujus civitatis eam cives (V. P. Leid. 1. cives M. Harl. 1.) Dianae immolassent, ibi fore imperium.“ In codice archetypo utrum scriptum fuerit cives an civis nec dicere possumus in tanta testium aequitate et parum refert, cum et civis pro numero singulari pariter atque plurali haberi possit et cum sequeretur „immolassent,“ facile in cives mutari potuerit. Non immerito autem Rhenanus de veritate hujus lectionis dubitasse videtur. Ex eis enim verbis, quae nunc in codicibus leguntur, cum ita res fingenda sit, ut putemus, postulasse oraculum, ut bos illa ab alterutro populo publice immolaretur (cives — immolassent),

deinde tamen eam ob non aliquo ostento romano sacrificatam nec ideo oraculum magis impletum visum esse traditur, § 7 „interea Romanus immolat Dianae bovem. Id mire gratum regi atque civitati fuit.“ Quamquam ne illud quidem me fugit, quae disputavit Rhenanus, non ea esse, ut utique de emendatione hujus loci cogitare cogamur, et Livium de re tam parvi momenti ac de qua dubitatio existere vix posset, etiam minus accurate scribere potuisse. Videtur tamen idem, quod Rhenanus a Livio profectum esse conjecit, „cujus civitatis eam civis . . . immolasset,“ legisse Valerius Maximus, qui VII 3. 1. sic eam expressit: „Quam (vaccam) omnium certissimi auctores in hoc a diis immortalibus editam responderunt, ut, quisquis (ne corripit Val. „qui civis“?) eam Aventinensi Dianae immolasset, ejus patria totius terrarum orbis imperium obtineret.“ In verbis Livii quam facile corruptela illa oriri potuerit, non est quod dicam.

Qui mihi deinceps tractandus est locus, de eo quamquam omni tempore aliquid dubitationis relictum iri puto, silentio tamen eum praeterire nolui. Liv. V 21. 15. enim refertur, Camillum Vejis captis, cum praeda opulentissima ante oculos ejus ferretur, precatum esse, „ut, si cui deorum hominumque (hominum deorumque Einsid.) nimia sua fortuna populique romani videretur, ut eam invidiam lenire quam minimo suo privato incommodo publicoque (quo om. cod. Einsid. et Leid. I) populi romani liceret. Ac sic fere in cod. archetypo scriptum fuisse concludo ex consensu codicum M. P. Harl. I. Einsid. Camill. unaquisque eloquente etiam magis ex more precationum id genus (exempla v. ap. Drakenb.) precaturum fuisse, ut invidia deorum in se potius quam in rempublicam erumperet, apparet. Atque id ipsum narrant Plutarchus et Valerius Maximus, v. Plut. Cam. c. V. Εἰ δ' ἄρα τι, ἔφη, καὶ ἡμῖν ἀντίστροφος ὀφείλεται τῆς παρούσης νέμεσις εὐπραξίας, εὔχομαι ταύτην ὑπέρ τε πόλεως καὶ στρατοῦ Ῥωμαίων εἰς ἐμαυτὸν ἐλαχίστῳ κακῷ τελευτῆσαι. Val. M. I. 5. 2. „cum esset precatus, ut, si cui deorum nimia felicitas populi romani videretur, ejus invidia suo aliquo incommodo saturaretur, subito lapsu decidit.“ Huic postquam jam alii de veritate eorum verborum, quae codices Livii exhibent, dubitaverant, Dobraeus (Advers. II p. 379) cum haec scripsisse atque Plutarchum, quem Livium secutum esse sibi persuasit, legisse suspicatus est „ut eam invidiam lenire quam minimo suo privato incommodo populo

romano liceret." Atqui Plutarchus num Livium illo loco secutus sit, valde dubito, ea certa, quae, postquam cecidisse Camillum pariter atque Livius narravit, addit „*Διαπραχθέντων δὲ τῶν παρόντων πάλιν ἀναλαβὼν ἑαυτὸν ἐκ τοῦ πτώματος εἰπεῖν, ὡς γένοιτο αὐτῷ κατ' εὐχὴν σφάλμα μικρὸν ἐπ' εὐτυχίᾳ μεγίστῃ.* — neque ex Livio sumpsit, nec cum in reliquis Livium secutum haec quae tam levis sunt momenti ex alio fonte ascivisse verisimile esse videtur. Contra ea quin Valerius Livium expresserit nulla potest esse dubitatio. Attamen ne sic quidem conjecturam Dubroci pro vera habere possum. Livius enim ex eis verbis quae exhibent codd. haec ait. Camillo nimiam visam esse *et suam* fortunam et *populi romani,* hinc eum precatum esse, ut et sua fortuna et populi romani potius damnum aliquod parvum sentiret, quam nimiam contraheret deorum hominumque invidiam. (Nam nocebat etiam hominum invidia ex sententia veterum, v. Catull. V 12. VII 12.) Sed hanc ejus precationem ita tantum exauditam esse, ut postea et ipse in exilium mitteretur, et orba Roma a Gallis caperetur. In his nihil perversi neque absurdi inest. Videntur autem haec omnia ita inter se cohaerere, ut, si quis alterum demat, ab eo ne alterum quidem retineri possit. Ac sunt sane omnia ea a Valerio praetermissa. Itaque si ille accurate Livium expressit, cum non, quae Dubroeus voluit, sed haec fere legisse censendum est: ut si cui deorum [hominumque] nimia [sua] fortuna populi[que] romani videretur, ut eam invidiam lenire quam minimo suo privato incommodo [publicoque] populo romano liceret. [illegible] idque omen pertinuisse postea eventu rem conjectantibus visum ad damnationem ipsius Camilli [captae deinde urbis romanae, quod post paucos accidit annos, cladem]. Attamen quod suspicionem moveat, reputanti potissimum verbositatem illam Livianam ab insectatoribus ejus omni tempore castigatam, in eis verbis quae uncis inclusi, nihil inest. Valerium deinde saepius ea, quae Livius scripsit, in brevius redegisse, suo judicio accommodasse, mutasse atque exornasse scimus. Interpolationem denique in codd. Livii tam late grassatam esse quis sibi persuadeat? His omnibus computatis hoc loco Valerium ad Livii verba emendanda adhibendum esse nego, nisi accedat aliqua codicum auctoritas, nec ullo anno loco magis ut Zumptius quid in cod. Veron. scriptum esset, publici juris faceret, optavi, quam hoc loco. Quae tamen spes hucusque me fefellit.

Ejusdem libri cap. 40. 8. haec in cod. archetypo scripta fuerunt: „cetera inter se onere partito feruntur via, quae sublicio ponte ducit ad Janiculum“ (M P V Harl 1 Leid 1). Apertum mendum, quod in his verbis inest, jam in recc. codd. sublatum est, ita ut pro „feruntur“ restitueretur „ferunt“ sc. flamen Quirinalis et virgines Vestales. Ac sic Valerium Maximum scriptum legisse, quippe qui I 1. 10. sic Livium expresserit: „cum flamen Quirinale virginesque Vestales sacra onere partito ferrent“, nuper etiam Weissenbornius sensit (ed. II Teub. adn. crit. p. CXXIX.). Itaque de ea conjectura, quam ille excogitavit, ut scriberetur „cetera onera partitae feruntur via“, non cogitandum est.

In eodem libro aliud mendum et deprehendisse et facili mutatione removere posse mihi videor. Cap. 16. 5. enim haec in codd. leguntur: „A. Postumius et L. Julius non justo dilectu — etenim ab tribunis plebis impediebantur — sed prope voluntariorum quos adhortando incitaverant coacta manu — redeuntes a populationibus gravesque praeda Tarquinienses oppressere.“ In his verbis aliquid difficultatis inesse sensit Weissenbornius, quem haec adnotasse videmus: „fast ganz aus Freiwilligen v. III 57. 9, es lassen sich viele einschreiben ohne d. Hülfe der Tribunen anzusprechen.“ Attamen id si Livius dicere voluisset, primum ni fallor scribendum ei erat „prope omnium voluntariorum“, et sic sane scripsit IX. 10. 6. „In civitate ira odioque ardente dilectus prope omnium voluntariorum fuit.“ Deinde vero neque quinam prope voluntarii sint facile quisquam mihi dixerit, neque hoc utique liquet, cum tribuni omnibus qui nomina dare recusarent auxilio fuisse dicantur nec ob id ipsum justus dilectus habitus esse, de aliis praeter voluntarios sermo esse potest. Ad quem locum Weissenbornius nos relegavit, is nihil probat, ibi enim et dilectus nullo intercedente a consulibus habitus esse dicitur et magna pars etiam emeritis stipendiis voluntariorum nomina dedisse. Scripsit ni fallor Livius *propere* pro *prope*. Justo dilectui opponitur manus voluntariorum propere coacta. — Alio loco quamquam quibus verbis Livius usus sit, indicare nunc non possum, tamen quaenam sententia ex vestigiis codicum expediendo sit, recte intellexisse mihi videor. Liv. III 12. enim refertur judicium populi de Quinctio Caesone actum. Ipso judicii die necessarios pro eo ad plebem egisse. Ibi § 4. haec in cod. archetypo scripta fuerunt: „Sp. Furium ipsum missum ab

Quinctio Capitolino sibi eum in dubiis suis rebus venisse subsidio" (MP. Harl. 1. Leid. 1.) „Sp. Furius" pro „Sp. Furium" jam primi restituerunt editores. Sed etiam *ipsum* sensu carere primus vidit Drakenborchius, qui id ex dittographia ortum esse suspicatus ejecit. Eum secuntur recentiores editores. Attamen id si admiserimus, desideratur aliquid, quod Livius, si constare sibi voluit, praetermittere non poterat. Is enim statim ab initio capitis (§ 2.) principes civitatis pro reo exortos esse dixit. Horum tres nominatim citat T. Quinctium Capitolinum (§ 2), Sp. Furium (§ 4), L. Lucretium (§ 5.), quibus addit patrem rei L. Quinctium (§ 8). Ex his Capitolinum ter consulem fuisse dicit, L. Lucretium consulem anni prioris, qui inter eos medius interpositus est, Sp. Furius, ut nunc res se habet, titulo honoris caret. Eum ipsum igitur, qui deesse vix potest, latere puto in voce corrupta „ipsum." Fuit autem Furius ille quarto ante anno consul, v. c. 4. 1. Ea ratio quo modo elici possit ex vestigiis codicum, ut investigetur, cum res mihi parum cesserit, aliorum sagacitati relinquendum est. Is qui codicem archetypum scripsit, siglum aliquod, qualia ad significandos titulos adhiberi fere solent, cepisse male videtur. Ceterum ejusdem libri alio de loco quae mihi subinde orta est suspicionem silentio praeterire nolo. Cap. 40. 14. cum Livius L. Cornelium Maluginensem his verbis orationem suam in senatu habitam finientem facit: „sin fidei et nuntiis et legatis habeatur, dilectum primo quoque tempore haberi, decemviros, quo cuique eorum videatur, exercitus ducere nec aliam rem praeverti." Sic certe codices. At impetrare a me non possum ut putem, censuisse Cornelium, ut singuli decemviri ex libidine quo quisque vellet, exercitus ducerent, sed potius ut de ea re inter se compararent. Itaque suspicor Livium scripsisse: „quo quemque eorum videatur." Non vereor, ne quis eam sententiam in lectione codicum inesse posse mihi obvertat; dicendum certe erat „quo iis videatur." Videtur autem sciolus aliquis librarius „cuique" posuisse, ut hanc vocem accommodaret quae sequitur „*videatur*."

Sed redeo ad ordinem. Ac Liv. VI. 20. 13. in codd. MP. (de Leid. 1. Harl. 1. nihil adnotatum invenio) haec exstant: „Latum ad populum est, ne quis patricius in arce aut Capitolio habitaret"; in recc. codd. „in arce aut *in* Capitolio." Lectionem optimorum codicum tueor

etiam Valerius Maximus, qui VI 3 1 Livium sic exscripsit: „Ergo sanciri placuit, ne quis patricius in arce aut Capitolio habitaret."

Liv VII 2 4 haec scripta sunt: „sine carmine ullo, sine imitandorum carminum actu ludiones ex Etruria acciti ad tibicinis modos saltantes haud indecoros motus more Tusco dabant", et ibid § 6. „Vernaculis artificibus, quia ister Tusco verbo ludio vocabatur, nomen histrionibus inditum." Sed altero loco pro *ludio*, quod praebent P et recc, in cod. archetypo sine dubio *ludius* (M Leid 1 Harl 1) scriptum fuit. Et id ipsum Valerium Maximum hoc loco scriptum legisse demonstrant ea quae is posuit II 4 4 „quia ludius apud eos hister appellabatur". Suo jure igitur Alschefskius id vocabulum, de quo optimi Livii codd et Valerius consentiunt, retinuisse videtur, a quo non recte discesserunt recentiores editores, modo pro *ludius* scribentes *ludio*. Atque idem nunc a Madvigio (Emendatt p 139) admissum video. In vero certissime etiam illud, de quo ipse non cogitaverim, dixisse videtur, ne priore quidem loco, ubi codd nihil mutant, *ludiones* a Livio prolatum esse, cum praesertim hoc uno loco — nam Liv XXXIX 6 8 id contra codd ab editoribus positum esse et ipse Madvigius indicavit — id nomen inveniatur. Ac Valerius quidem etiam priore loco ludii vocabulo usus est: „eaque res ludium ex Etruria arcessendi causam dedit." Jam vero quod Madvigius Livium sic scripsisse suspicatus est: „ludii, homines ex Etruria acciti", de ea re consentire cum eo non possum. Neque enim ullam rationem, qua vox *homines* expediatur, invenire possum, quam ac cum *ludii* conjungas, prohibent rationes grammaticae, nec id Madvigius voluit, quippe qui post ludios orationem distinguendam curaverit, sed eandem si conjunxeris cum *acciti*, sententia exsistit prorsus mira, ut ludii explicentur esse homines ex Etruria acciti. Id quod verum est, jam in fragm Havere a m pr sive casu sive e conjectura repositum esse videtur, in quo scriptum est „ludii oes" h. e. *ludii omnes*. Livius postquam dixit, ludos scenicos Romae ab initio rem et parvam et peregrinam fuisse, id ita persequitur, ut dicat, ludios tum sine carmine ullo, sine imitandorum carminum actu haud indecoros motus edidisse, eosque omnes ex Etruria accitos esse. — Sed restat in eodem capite aliud, quod verbo saltem tangendum est. § 8 enim haec scripta sunt: „Livius — dicitur, cum saepius revocatus vocem obtudisset, venia petita, puerum ad canendum ante tibicinem cum statuisset, canticum

egisse" Videtur in his verbis ob particulam cum tam parvo interposito intervallo nulla addita copula bis repetitam duri aliquid inesse nec tamen id efficit, ut de veritate lectionis dubitare cogamur. Hertzius tamen, cum in uno cod. M pro „revocatus" „revocatur" exstare dicatur, Livium „dicitur, cum saepius revocatur, vocem obtudisse et — canticum egisse" scripsisse suspicatus est eamque conjecturam paulo audacius in ordinem verborum recepit. Nam ut omittam, ita si scribimus, nimium pondus accedere rei per se levi et ob hanc solam causam a Livio commemoratae, ut, quomodo factum esset, ut Andronicus per puerum ante tibicinem statutum canticum ageret, inde explicaret, codicis M lectioni nihil tribuendum esse etiam ea demonstrant, quae Valerius Maximus II 4 4 scripsit „isque sui operis actor, cum saepius a populo revocatus vocem obtudisset, adhibito pueri ac tibicinis concentu gesticulationem tacitus peregit." Atque id saepius ab Hertzio factum esse videtur, ut lectionum cod. M etiam omnibus reliquis, quorum est aliqua auctoritas, repugnantibus, tenaciorem se praeberet. Velut VIII 37 12. quod in solo M exstat et ab uno Hertzio receptum est *auctorem* id mihi quidem videtur dubitari non posse, quin errore haud raro ortum sit, cum reliqui codd. P Harl 1 Leid 1 in quibus scriptum est *auctores* codicem archetypum repraesentent. Idem judicaverim de VIII. 17 2. ubi *comparanda* unus exhibet M (cum Lovel. IV uno numero), *comparato* P Leid 1 Harl 1 Ne VII. 36 12. quidem dubito, quin quod praebent P Leid 1 Harl 1. *intra castra* (*vel* castra Harl. 1) in cod. archetypo scriptum fuerit, cum, quod editores receperunt *in castra*, solus exhibeat cod. M. His omnibus certe locis quomodo factum sit, ut ex quattuor codd., qui ex eodem cod. archetypo sunt ducti, tres eandem corruptelam texerint, unus lectionem communis fontis servaverit, difficile fuerit dictu.

Ejusdem libri VII cap. 6 3. quod Madvigius (Emendatt. p. 142 not.) se laudare ait, fortasse Livium scripsisse „an ullum magis romanum bonum quam arma virumque esse" suspicans pro ea quae codd. praebent *arma virtutemque* (cf. Dio Cass. fr. 30 1. ed. Bekk. Zonar. VII 25), ut eam locum non admittamus efficiunt ea, quae Valerius Maximus V. 6. 2 scripsit „interpretatus urbem nostram virtute armisque praecipue excellere."

Ejusdem libri data occasione alios deinceps nonnullos locos meo

Marte corrigere conabor. Horum primus exstat cap. 25. 2. Refertur L. Furium Camillum, cum comitiorum habendorum causa dictator dictus esset, ipsum consulem creatum esse et collegam dixisse App. Claudium Crassum, sic cum patribus possessionem consulatus reddidisse, cum priore anno M. Popilius Laenas homo de plebe cum L. Cornelio Scipione ex lege Licinia (v. Liv. VI. 35. 5.) consul fuisset. Sequitur haec: „Simul dictaturem increpabant, qui legis Liciniae spretae mercedem consulatum privata cupiditate quam publica injuria foediorem cepisset, ut se ipse consulem dictator crearet.“ Ad ultima verba „ut — crearet“ ab Alschefskio haec video adnotata esse: „haec verba ad „privata cupiditate“ pertinere nemo non videt“, quae nollem a Weissenbornio repetita esse, neque enim probari ullo modo possunt. Ut se ipse consulem dictator crearet neque petiverat Furius neque petisse ab adversariis arguebatur, sed consulatus ex horum certe sententia fuerat cupidus. Quem cum aliter se assequi non posse intelligeret, eam viam inierat, ut se ipse dictator consulem diceret. Nec poterat Livius, ut hoc addam, ad haec verba *privata cupiditate*, quorum explicatio toto enuntiato continetur, eam addere explicationem, quae, si eam admitteremus, magis pertineret ad illud alterum membrum „*publica injuria*“, contra rem publicam enim pariter atque contra morem majorum is magistratus agere videbatur, qui cum comitiis praesideret, se ipsum creari pateretur ac renuntiaret (cf. Liv. III. 35. 8. et Lange Antiq. rom. I. p. 513.). Pendent igitur illa verba ab toto quod antecedit enuntiato, recte enim latine dicitur: mercedem spretae legis Liciniae cepit, ut ipse se consulem diceret, ubi cogitatione quae subest paulum mutata pro *ut* etiam *quod* poni poterat. Furius contra legem Liciniam duos patricios consules renuntiare paratus erat, cujus rei eam cepit mercedem, ut se ipsum alterum crearet. Ita si hunc locum explicamus, in eis quae antecedunt vox *consulatum* ferri nequit, quam si retinemus, tota enuntiati vis ut infringatur admittimus et Livium prorsus intolerabili modo bis idem dicentem facimus. Ac poterat de hoc vocabulo etiam is locus, quem in codicibus obtinet, dubitationem movere. Mire enim quae artissime cohaerent verba „mercedem privata cupiditate quam publica injuria foediorem“ ea voce sejunguntur, quae si vere esset illa explicaret. Pertinet igitur ad eorum

glossarum genus, quibus tam saepe orationem Livii jam in cod. archetypo foedatam fuisse intelligimus.

Sic ejusdem libri cap. 29 1 in omnibus codd. contra post *temporum* scriptum est *spatio*, quae vox in cod. archetypo ad interpretandum verbum *longinquitate* superscripta erat. Liv. IX 18 11 quae verba removeram „*cum fortuna*", eadem esse a Madvigio Emendat. Liv. p. 177 pro spuriis denotata video, qui post alios de toto hoc corruptelarum in Livio genere permultis exemplis allatis ejusdem libri p. 15 seqq. exposuit. Atque eo quidem loco, de quo nunc agimus, etiam alterum quoddam corruptelae signum afferre licet. Saepius enim ubi tale interpretamentum in nostris codd. in ordinem verborum receptum est, factum esse videmus, ut in uno alterove codice, qui eam scripsit, id vocula aliqua addita cum reliqua oratione conjungendi periculum faceret. Sic hoc loco qui cod. P. exaravit, cum *consulatum* post *merendum* non bene addi intelligeret, accipit *consulatumque*, cum qui reliquos exaraverunt codd. hanc vocem simpliciter in ordinem verborum receperint. Ejusdem capitis § 4. pro *discesserint* scribendum esse censeo *discesserunt*, non quod post particulam *ut* non tempus imperfectum et perfectum juxta poni possint, sed quia perversa est sententia, ex qua tam infesta littora classibus Graecorum fuisse dicuntur, ut utraeque partes dubiae, victae an victrices essent, ex eo proelio, quod inde ortum esset, discederent. Ejusdem libri cap. 37. 6 quod orationem obtinet mendum, id ab omnibus animadversum esse video, sed ab nullodum ut par erat certis verbis castigatum nec probabili mutatione remotum. Leguntur ibi in codd. haec: „confestim signa mota relictisque impedimentis castrorum valido praesidio raptim agitur agmen". Neque enim quaenam sint impedimenta castrorum quisquam adhuc dicere potuit, nec relinquuntur impedimenta praesidio, sed praesidium relinquitur impedimentis, nec ullus est hic castrorum mentioni locus, sed impedimentis praesidium relinquitur, et Livium his verbis nihil aliud indicare voluisse quam milites expeditos profectos esse ex eo apparet, quae statim sequuntur „raptim agitur agmen". Livius nisi fallor simpliciter haec acceperat: relictisque impedimentis cum valido praesidio etc. cf. Curt. VI 5 (16) 11 impedimentis cum praesidio relictis, VII 5 (20) 1 sarcinas et impedimenta ibi cum prae-

adm reliquit. Liv. XXI 32 fin. Videtur autem is qui codicem archetypum scripsit siglum aliquod male cepisse, et pro eum posuisse *castrorum*.

Liv VIII 8. 19 „Pugnatum est haud procul radicibus Vesuvii montis, qua via ad Veserim ferebat“ Quam dubitationem nuper Madvigius (Emendatt. Liv. p. 160 seqq.) movit Vesuvii montis nomen num a Livio scriptum esset ambigens, ea ita refellenda est, ut Valerium Maximum certe illud legisse dicamus, qui I 7. 3 illa ipsa verba sic transcripsit non procul a Vesuvii montis radicibus. Itaque ipsius potius Livii — nam de reliquis cum Madvigio consentio — quam librariorum error hoc loco statuendus est. Ejusdem libri cap. 37. 8 in cod. archetypo haec scripta fuerant „M. Flavius tribunus plebis tulit ad populum, ut in Tusculanos animadverteretur, quorum eorum ope ac consilio Veliterni Privernatesque populo Romano bellum fecissent“ (M P Leid 1 Harl 1). In his verbis „quorum eorum“ ferri non posse omnes nunc consentiunt. Habemus igitur hoc loco apertum codicis archetypi mendum. Id recentiores editores ita tollere sibi visi sunt, ut vocem „eorum“ omitterent. Ut tamen rectius in recentioribus nonnullis codd. pro *quorum eorum* „quod eorum“ scriptum esse putem, ea efficiunt, quae Valerius Maximus IX 10 1 scripsit: Trib. pl. M. Fl. ad populum de Tusculanis retulit, quod eorum consilio Veliternos Privernatesque rebellaturos diceret (sic enim praebent codd.): cujus extrema verba quamquam aperte corrupta sunt, initium tamen periodi ex Livio transscripsisse mihi videtur. Etiam hoc loco, qui codicem archetypum Livii scripsit, siglum aliquod male percepisse videtur, quod propter ea moneo, quae supra disputavi. Ejusdem capitis ultima verba et ipsa jam in cod. archetypo valde corrupta extitisse docent ea, quae in nostris codd. scripta sunt, quorum M. haec exhibet „nec quemquam ferme ex Pollia tribu candidatum ferme datu papirum datu ferre ferre solitum“, cod. P. Leid. 1. Harl. 1. „nec quemquam ferme ex pulia tribu candidatum ferme datum papiria ferme solitum“. Sententia horum verborum quaenam esse debeat, ut dubitationi exemptum sit efficiunt ea quae Valerius Maximus l. c. scripsit: „Papiria tribus — neminem unquam candidatum Pollia tribus fecit magistratum“. Eam editores sic facillime efficere posse sibi visi sunt, ut scriberent: nec quemquam ferme ex Pollia tribu candidatum Papiriam ferre solitum. Haeret tamen in mente aliquid dubitationis. Atque secundum Valerii verba fa-

esse haec efficere possim. nec quemquam ferme ex Pollia tribu candidatum magistratum Papirium facere solitum; sed ut in re dubia nihil definio. Ceterum Valerius non paulo ante haec scripserit. „Qui (Tusculani) cum cum conjugibus ac liberis — Romam venissent, accidit ut — sola Pollia judicaret oportere pubes eos verberatos securi percuti, imbellem multitudinem sub corona venire“ dubito, quibus haec Livii expresserit. Polliae sententia fuit, puberes verberatos necari, conjuges liberosque sub corona lege belli venire. Neque enim eos et *imbellem multitudinem* bene inter se opponuntur, neque utrum publice an privatim percuterentur, agi poterat, nec publice idem valet, quod *in publico*. Accedit quod hujus vocis ne minimum apud Livium ne vestigium quidem exstat. Ob has igitur causas verba *publice eos* corrupta esse suspicor pro *puberes*, quod si reposuerimus, omnia recte procedent et Valerius cum Livio consentiet.

Liv. IX. 29. 10. Valerius aliam verborum Livii distinctionem secutus esse videtur, atque quae nunc in editionibus obtinet. In his enim loco illo verba sic distinguuntur: „Traditur cum duodecim familiae ea tempestate Potitiorum essent, puberes ad triginta, omnes intra annum cum stirpe exstinctos,“, Valerius I. 1. 17. haec posuit: „omnes, qui erant numero super triginta, puberes intra annum exstincti sunt,“ unde eum orationem post *triginta* non distinxisse, sed „puberes ad triginta omnes“ conjunxisse apparet. Ac videtur sane ea quam Valerius secutus est interpunctio praeferenda esse, et quia nec quod mirum erat in illa re, homines puberes tot numero tam celeriter mortem obiisse, magis effertur, et ubi ea verba quae adduntur, *cum stirpe*. In eis quae apud Valerium sequuntur nescio an pro *prope interiit*, quae verba corrupta esse omnes consentiunt, simpliciter scribendum sit: *prorsus interiit*.

Ejusdem libri de alio loco quae mihi subinde in mentem recurrit suspicionem supprimere nolo, aliis de ea integrum relinquens judicium. Cap. 36. refertur, M. Fabium primum cum servo comitante Ciminii saltus occessus explorasse, utramque linguam Etruscam probe nosse. Secuntur § 5. haec: „nec quicquam aliud proficiscentes quam summatim regionis, quae intranda erat, naturam ac nomina principum in populis accepere, ne qua inter colloquia insigni nota haesitantes deprendi possent.“ Scrupulum mihi injecerunt haec ultima verba. Quid enim? An illi homines levi nota deprendi voluerunt? Minime, omnino deprendi

volnecent, neque insigni nota neque levi. Quid igitur sibi volunt illa verba „insigni nota", quae, ut etiam hoc addam, mira nulla idonea causa inter ea interposita sunt, quae sine dubio sunt coniungenda, inter colloquia — haesitantes? Exspectamus potius a Livio dictum esse, illos in regionum naturam ac nominis principium inquisivisse, ne, si eorum, quae omnium terrae incolis atque accolis notissima esse deberent, ipsi ignari essent, inde agnoscerentur. Videtur levis adhaesse corruptela et Livius pro *insigni nota* scripsisse „insignita nota", cf. Liv. VIII. 15. 1 quo insignitius omissa res Aemilio — exprobraretur. Cic. p. Quint. 23. neque tamen quisquam inventus est tam insignite improbus. de or. II. 85. Gell. N. A. VII. 15. 6 neque se tam insignite locuturum, ut absona inauditaque diceret. Colloquia nota sunt colloquia, quae sunt de rebus notis.

Transeo ad alteram decadem. In ea quod ad rem criticam attinet, ducem omnibus recentioribus codicibus posthabitis unice sequendum esse cod. Puteaneum (P.), inter omnes nunc constat. Hoc vero de praestantia codicis P. judicium etiam ex Valerio Maximo certo exemplo confirmari licet. Liv. XXII. 7. 13 enim refertur nuntio pugnae ad lacum Trasumennum commissae Romam allato feminarum praecipue et gaudia insignia fuisse et luctus. Sequuntur haec: „unam in ipsa porta sospiti filio repente oblatam in conspectu ejus exspirasse ferunt, alteram, cui mors filii falso nuntiata erat, maestam sedentem domi ad primum conspectum redeuntis filii gaudio nimio exanimatam". Sic haec verba in omnibus recentioribus codicibus et veteribus editionibus scripta exstant, in uno cod. P. priore loco pro „in conspectu" exaratum est prima manu „in conspexu", altera deinde manu littera *t* supra *x* posita. Hinc sine dubio rectissime reposuit primus Alschefskius „*in complexu*". Confirmat rem eamque omni dubitationi eximit Valerius Maximus, quippe qui l. IX. 12. 2. ipsa Livii verba sic transscripserit: „Nuntiata enim clade — altera mater sospiti filio ad ipsam portam facta obviam *in complexu ejus* expiravit, altera cum falso mortis filii nuntio maesta domi sederet, ad primum conspectum redeuntis exanimata est", ubi in unico cod. Guelferbytano in deterioribus jure habito pariter atque in recentioribus Livii codd. pro „in complexu" scriptum est „in conspectu." Est vero is locus si qui alius ita comparatus, unde, quaenam inter cod. P. et reliquos codd. intercedat ratio, cognoscas. In eo enim codice, ex quo P. descriptus est, recte „in complexu" scriptum

fuisse, id quod levi errore oblitteratum in P exstat demonstrare videtur. Jam vero cum eam corruptelam, cujus in cod P initium factum esse intelligimus, in reliquis codd perfectam videamus, quid verisimilius est, quam eos omnes non ex eodem cum cod P libro aut simili, sed ex hoc ipso esse ortos? Ac recte id jam Alschefskius in eis, quae ad hunc locum adnotavit, monuit

Neque minus aperiosus alter est locus, qui exstat Liv XXVI 38. Narratur, qua ratione Salapia urbs ab Hannibale occupata Blattii cujusdam opera Romanis tradita sit Ibi § 11 in cod P haec exstant verba „Blattius pervicit, ut praesidium Punicum autem Numidae erant Salapiaque traderetur Marcello“ Haec ita a Livio scripta esse non posse cum jam ei, qui recentiores codices scripserunt, intelligerent, ut eum sanarent, post „Punicum“ inseruerunt vocula *hi*, quam lectionem receperunt, qui primi Livium ediderunt. Narrant eandem rem praeter Livium Appianus (Hann 45) et Valerius Maximus (III 8 ext 1), quorum ille, ut solet, compluribus a Livio recedit atque ob id ipsum eum non secutus esse putandus est Contra ea Valerius, quae tradit, sine dubio ex Livio hausit, cum quo non solum de totius rei ordine sed etiam in singulis fere verbis consentit Qui cum sub finem haec scripserit verba „Sed non ita multo post Blasii (sic in codd Valerii ex posteriorum saeculorum pronuntiatione, cf Corssen, Aussprache, Betonung, Vocalismus der lat Sp I p 27, hoc nomen scriptum est) mira constantia Basium ad se traxit, Marcelloque et Salapiam et *quingentos* Numidas, qui in ea custodiae causa erant, tradidit,“ Signus certissima emendatione Livii verba sic restituit „ut praesidium Punicum“ — D autem Numidae erant — Salapiaque traderetur“ Etiam hoc igitur loco Valerius efficit, ut, quanta sit codicis P praestantia, quippe qui solus, quamquam et ipse corruptelam traxit, vestigia tamen veri servaverit, intelligamus Atque utinam idem etiam ejusdem libri cap 32. Livium accuratius expressisset, ut, quid in suo ejus exemplari legisset, perspicere possemus! Refertur, legatos Syracusanos Romam venisse Claudium Marcellum nimiae in urbem olim sociam crudelitatis accusaturos. Senatum eo quidem, quae Marcellus egisset, rata habuisse, sed res Syracusarum sibi curae fore respondisse Secuntur in cod Put haec (§ 8) „legatique benigne appellati ac dimissi ad genua se Marcelli consulis projecerunt

et obsecrantes, ut, quae deplorandae ac levandae calamitatis causa dixissent, veniam eis daret et in fidem clientelamque se urbemque Syracusas acciperet potens ac consul clementer appellatos eos dimisit." Haec Putcani vestigia secutus Weissenbornius post *projecerunt* addidit *orantes*, pro potens ac scripsit *potens irae* Valerius Maximus totum hunc locum IV 1. 7 sic expressit Improbatis quoque eorum querellis supplices et orantes, ut ab eo in clientelam reciperentur, clementer excepit Ea his ejus verbis primum quidem cum ille legerit quod Weissenbornius voluit „orantes et obsecrantes", jure dubitaveris, videtur potius per *supplices* id expressisse, quod Livius dicit, legatos se ad genua Marcelli projecisse, per *orantes* deinde reddidisse, quod Livius scripsit *obsecrantes*, et vocula *et* in cod P. post *projecerunt* scripta ex ultimis hujus vocis litteris perperam repetitis orta esse Multo vero minus a me impetrare possum, ut ea, quae deinde Weissenbornius posuit „potens irae", e Livio profecta esse putem Is enim adeo non in eis, quae antecedunt, Marcellum accusatoribus suis iratum fuisse narrat, ut ubique eos ab illo comiter adjutos esse praedicet, cf c 26. 5 seqq c 29 6 seqq. c 30 12 c. 31 11, nec tum utique tempus erat, ut eis irasceretur Nec magis verisimile esse, quod Weissenbornius in adnotatione posuit, fortasse exemplaria hoc loco excidisse, ea docent, quae Valerius scripsit, quamquam tam breviter Livium expressit, ut quid ipse legerit inde perspicere nequeas Possit aliquis suspicari, Livium haec scripsisse *promittens* hoc consul clementer appellatos eos dimisit, cf Curt IV 4 (17) d. modo super undas eminens magna sui parte, modo superfusis fluctibus rendita, haud procul munimentis urbis emersit Sed ne ipse quidem huic conjecturae multum tribuo, cum Livius de re praesenti *adnuens* potius vel tale quid scripturus fuerit, et, ita si scribamus, pronomen *hujus* male partes pronominis *ejus* agere videatur Itaque hic quidem locus aliis relinquendus est Ceterum, ut hoc in transcursu dicam, ejusdem libri cap 27 16 neque cum Weissenborno „romanam praebuit" scribendum est, id quod refellit Madvigius Emend Liv. p 309, neque vero magis cum hoc pro Romam reposcendum *formam*, formam alicujus praebere enim ubi latine dicitur, ibi semper exprimuntur vultus lineamenta ac corporis figura, neque vero totus externus hominis habitus, sed excidit ante *praebuit*, quae per siglum scripta ante literam *p* facillime excidere poterat, vox *speciem*

9*

(spm.), cf. Liv. III. 28. 4 Romam prima luce venientes procul speciem hostium praebuere. Curt. III. 8 (21.) 17 ne praefectorum aliquis speciem praebuisset universi venientis exercitus. III. 13. (34.) 8 praebuere ergo Parmenioni non spernendi agminis speciem. X. 5. (14.) 1. intuentibus lacrimae obortae praebuere speciem jam non regem sed funus ejus visentis exercitus, cf. quae adnot. Muetzell ad III. 2 (4.) 3. — Cap. 17. 8 quod commendaturus eram, ut pro romam scriberetur *coram*, idem a Madvigio inventum esse nunc video, Emend. Liv. p. 306.

Liv. XXV. 16. 1 seqq. in cod. P. haec exstant: „Graccho priusquam ex Lucanis moveret, sacrificanti triste prodigium factum est: ad exta sacrificio perpetrato angues duo ex occulto adlapsi anaere (mandere Colb. e m. sec.) jecur conspectique repente ex oculis abierunt. Id cum haruspicum monitu sacrificium restauraretur atque intentius exta reservarentur, iterum ac tertium tendunt libataque jecinore intactos angues abisse.“ In his verbis recte et a J. F. Gronovio pro eo quod cod. P. exhibet, *anaere* scriptum esse *adedere* et a Weissenbornio post *tendunt* additum *adlapsos*, argumento sunt ea, quae de eadem re Valerius Maximus scripsit I. 6. 8. „adeso jecinore“ et infra „tertia quoque caesa victima diligentiusque adservatis extis neque adlapsus serpentium arceri neque fuga impediri potuit.“ Sed vereor ne tertium in oratione Livii etiamnunc restet mendum. Rectissime enim Crevierus videtur in pronomine *id* tanta cum vi initio novi enuntiati posito offendisse. Quod enim a Weissenbornio in adnotatione scriptum esse video, *id* referendum esse ad ea quae antecedunt verba „sacrificio perpetrato“, de ea re, modo *id* recte se habeat, dubitari nequit, sed est id ipsum, in quo offendo, cum idem, de quo antea sermo fuit, sacrificium intelligendum esse et ex sententiae nexu appareat et verbo „instauraretur“ satis superque indicetur, ita ut pronomen illud additum valde langueat. Ac tamen id fortasse ferrem, nisi tam praecipuo loco positum esset, in qua re aliquid inest, quod paene risum moveat, voculam certe supervacaneam tam magna cum vi in initio enuntiati positam esse. Ac Crevierus quidem scribi voluit: Et cum harusp. etc., sed aliud Valerius Maximus legisse videtur. Qui cum illa verba sic reddiderit: Ob id deinde fortum instaurato sacrificio etc., quin in suo Livii exemplari pro *id* scriptum legerit *ideo*, non dubito.

Liv. XXX. 45. 10 narratur, confecto bello Punico secundo Car-

thaginienses ea pacis legibus (v. c. 16. 10) naves longas, elephantos, perfugas, fugitivos, captivorum quatuor milia Romanis tradidisse, naves cum magno Poenorum luctu incensas esse. Sequitur § 13 haec: De perfugis gravius quam de fugitivis consultum: nominis latini qui erant, securi percussi, Romani in crucem sublati. Miror neminem dum in his verbis offendisse, quae sive fugitivos cum prioribus editoribus dicis intelligendos esse servos, qui ad Carthaginienses transfugissent, sive cum Weissenbornio, quamquam hoc id fieri posse nondum mihi persuasit, milites, qui stationem deseruissent et a Carthaginiensibus rapti essent, sano sensu carent. Ponamus, esse eos servos, id quod verum esse mihi videtur. Servorum fugitivorum vulgare supplicium fuisse, ut cruci affigerentur, constat, cf. Liv. III 18 10. XXIV 14. 7. ibiq. interprett. Id aut publice ab iis sumebatur, aut dominis ut sumerent tradebantur, v. Dio Cass. XLIX 12 5: τὸ δὲ δουλικὸν τοῖς δεσπόταις πρὸς τιμωρίαν ἀπεδόθη· εἰ δέ του μηδεὶς κύριος εὑρίσκετο, ἀνεσκολοπίσθη. Mon. Ancyr. tab. V 4 seq. App. bell. civ. V 131. Oros. VI 18 fin. Quomodo igitur hoc loco Livius scribere poterat, in perfugas, quos aut securi percussos esse ipse dicit aut cruci affixos, gravius quam in fugitivos consultum esse? Nec multum adjuvamur ea explicatione, quam proposuit Weissenbornius, ex qua fugitivi intelligendi essent milites liberi statione deserta ab hostibus capti. Primum enim vix credendum est, milites romanos in media Africa, nisi qui ad hostes transfugere vellent, castra deseruisse. Deinde etiamsi id factum esse sumimus, Livius si in perfugas gravius quam in hos consultum esse scripsisset, tum ante omnia ei dicendum erat, quodnam de his supplicium sumptum esset. Accedit denique, quod, ubicunque a scriptoribus latinis fugitivorum mentio fit, ibi intelliguntur servi. Itaque Livius, si hoc loco a vulgari dicendi usu recedere volebat, id est, si recte verba sua ab iis qui legerent intelligi volebat, vocabulo aliquo addito indicandum erat. Quod vero ex his quae hucusque disputavi, jam suspicari licet, lectionem codicum corruptam esse, idem certo demonstrare simulque viam, qua locus emendandus sit, monstrare videtur Valerius Maximus, qui II. 7. 12. cum sic expressit: (Superior Africanus) cum omnes, qui ex nostris exercitibus ad Poenos transierant, in suam potestatem redegisset, gravius in Romanos quam in Latinos transfugas animadvertit. Hos enim tanquam patriae fugitivos

crucibus adfixit, illos tanquam perfidos socios securi percussit." Sic sane omnia plana atque in aperto posita sunt: fugitivi ut sibi sunt servi, Romani gravius dicuntur puniti esse quam Latini, quod verum est, illi servili supplicio adfecti esse, quod et ipsum recte dictum est. Haec vero quin etiam a Livio scripta fuerint, vix dubium esse potest. Ope bonorum codicum per haec capita prorsus destituti sumus, cum cod. P. in medio hujus libri cap. 38 desinat, Bamberg., qui eum excipit, a cap. 44 demum incipiat. Itaque quibus verbis Livius usus sit, difficile est dictu, sed omnia recte se habere videntur, si eum haec scripsisse putamus: de perfugis graviter ac de Romanis quidem etiam] gravius [tan]quam de fugitivis consultum, aut, quae mutatio fortasse facilior videri possit, haec: de perfugis gravius, [ac de Romanis adeo tan]quam de fugitivis consultum. Sic omnia recte procedunt et Livius ac Valerius consentiunt, fugitivorum poena autem ideo non diserte indicata est, quia de ea inter omnes Romanos constabat.

Ejusdem libri cap. 40. 7. in codd. et recentioribus editionibus haec leguntur: „Cn. Lentulus consul cupiditate flagrabat provinciae Africae, seu bellum foret, facilem victoriam fore, seu jam finiretur, finiti tanti belli a (cum *a* codd. add. J. Perizonius) se consule gloriam petens." Sic a Livio scribi non potuisse intellexerunt priores editores, qui ob id ipsum vocem *fore* deleverunt. Potest enim verbum aliquod dicendi aut declarandi ante sententiam infinitam ita demum ut subintelligatur omitti, si ea, quae inde pendent, in fine aut enuntiati aut membri constituti posita sunt; hoc loco cum quod sequitur membrum „gloriam petens" necessario ea ajungendum sit rem ea, quae praecedunt, Lentulus consul, his verbis „seu bellum foret, facilem victoriam fore" nullo vinculo interpositis omnis tollitur verborum conjunctio nec stare potest ratio grammatica. Duae moverunt Lentulum causae, ut Africam provinciam peteret, quarum altera erat, quia, si bellum foret, facilem victoriam fore putabat, altera quod, si bellum jam finiretur, gloriam, certe belli a se consule finiti petebat. Ac sunt haec duo ita inter se diversa, ut vix ex altero membro *gloriam petens* ad prius quo opus est notione *putans* supplens. Livius nisi fallor haec scripserat: seu bellum foret, facilem victoriam fore [ratus] seu jam finiretur, finiti tanti belli gloriam petens." Quam addidi, vox facile inter *fore* et *seu* excidere poterat.

Pergo ad tertiam decadem. Hujus omnem emendationem duobus niti codicibus, Moguntino, cujus, cum nunc deperditus sit, scripturae varietas notata est in ed. Mog., et Bambergensi (M. B.) nunc pervagatum est. Intercedit autem inter hos duos codd. ea ratio, ut, quamquam haud raro etiam in uno cod. Bamb. veram lectionem servatam esse intelligimus, caeptus tamen in hoc oratio cum aliis mendis atque erroribus, tum lacunis et singulorum verborum omissionibus turbata sit, quae expletae sunt ex cod. Mog. Neque enim, quin ea, quibus in hoc nostro expleta erat, a Livio profecta essent, viri docti dubitaverunt. Quod recte eos fecisse nunc certo argumento confirmare licet. Liv. XXXVIII 24. 10. in cod. B. haec scripta exstant: mirantique — quod id facinus haudquaquam muliebre esset et ultionem mulctae per vim pudicitiae confitens viro est. Sed in cod. M post esset haec verba addita fuisse dicuntur: et injuriam corporis etc. et receperunt ea editores. Ea ipsa autem verba Valerium Maximum in suo Livii exemplari legisse, demonstrant ea, quae ille VI. 1. ext. 2. scripsit: „abjectoque ante pedes ejus (capite) injuriae et ultionis suae ordinem exposuit.“ Itaque quin a Livio scripta et in Mog. recte servata sint, dubitari nequit, cum in cod. B. scriba a priore et oculis aberraverit ad alterum et ante ultionem positum et media omiserit.

Ceterum cod. Bamb. cum in medio hujus libri cap. 46. deficiat, e Mog. pauca tantum contentur, cod. Vindob. denique, qui hos duos excepit, inde a XLI. demum incipiat libro, XXXIX. et XL. librorum satis lubrica est tractatio critica. Et tamen etiam horum in altero certe aliquam Valerii Maximi usus. Liv. XL. 34. 5. in codd. haec leguntur: „Eam aedem (Pietatis) dedicavit M'. Acilius Glabrio duumvir, statuamque auratam, quae prima omnium in Italia statua aurata est, patris Glabrionis posuit. Is erat, qui ipse eam aedem voverat, quo die cum rege Antiocho ad Thermopylas depugnasset, locaveratque idem ex senatus consulto.“ Haec a Valerio Maximo II. 5. 1. ita reddita sunt: Statuam auratam nec in urbe nec in ulla parte Italiae prius quisquam adspexit, quam a Manlio Acilio Glabrione equestris patri poneretur in aede Pietatis. Eam autem aedem P. Cornelio Lentulo M. Baebio Tamphilo coss. ipse dedicaverat, compos voti factus rege Antiocho apud Thermopylas superato. Quae verba ex Livio transcripta esse, si ulla possit esse dubitatio, ultima verba certissime evincunt. Valerius enim cum verba Livii ex more suo aliter

tantum inspexisset, vb „is erat ipse" ad patrem illo Glabrionem referenda perperam ad filium retulit omnemque rem confudit. Certissime autem refellitur his Valerii verbis opinio Weissenbornii, qui (ed. Teubn. vol. V. praef. p. VII) apud Livium haec verba „quae aurata est" ab interpolatore inserta esse censet. (Idem a Madvigio notatum esse video Emend. Liv. p. 469.) Neque vero magis cum J. F. Gronovio (et Madvigio l. c.) ante *aurata* inserenda esse videtur vox *statua*, nam et Livius illud dicere voluisse videtur, illam primam statuam in Italia auratam esse, et Valerius id legisse. Sed restat etiam alterum, de quo mentionem faciam. Quos enim Valerius adscribit consules, P. Cornelium Lentulum et M. Baebium Tamphilum, eos sine dubio et ipsos sumpsit ex Livio, qui magistratus istius anni perscribit cap. 18 hujus libri. Ac quod usque ad hunc diem Valerii et in codd. omnibus et editionibus legitur, cognomen Lentuli illo Livii loco quoque in omnibus codd. scriptum est, pro quo editores, cum illo anno non P. Cornelium Lentulum, sed P. Cornelium Cethegum consulem fuisse Cassius Hemina ap. Plin. H. N. XIII 13. testetur, inde a Sigonio hoc cognomen receperunt. Cum vero jam Valerii tempore Lentuli cognomen in codd. Livii scriptum fuisse intelligamus, de qua quidem re dubitari nequit, ipsius Livii potius quam librariorum error statuendus erit et codicum lectio reponenda. Similia autem quam multa a Livio commissa sint, ut nomina confunderet, permultis exemplis collectis Madvigius nuper l. c. p. 50 seq. demonstravit, quibus hic locus addendus est.

Ejusdem libri cap. 29. 3 breviter adnoto eam vocem, quae in Livii codd. in-unico M. scripta fuisse dicitur *agri*, omitti etiam a Valerio Maximo I. 1. 12., qui ipsa Livii verba exscripsit. Ac cultores quidem latine saepissime dici pro eo, quod et ipsum invenitur, cultoribus agri, inter omnes constat, cf. Liv. XXIV 42. 10. et interpret. ad VII. 39. 11. Sed cum etiam in periocha lib. XL „a cultoribus agri" scriptum sit, nec in cod. M. unam vox illa exstiterit, nunc ad liquidum perduci possit, nihil definio.

Inde a lib. XLI—XLV omne instrumentum criticum constare in cod. Vindobonensi, nemo nescit. Ac Valerius cum ex his libris pauca tantum excerpserit, ea plerumque omnia ad emendanda Livii verba et a prioribus editoribus et maxime a Kreyssigio in usum vocata esse

inveni. Nam et l. XLI 18 10, ubi in cod. Vind. haec leguntur „se eo die laetum facturum esse“ recte ex Val. Max. I 5. 9. „Hodie ego Letum atque caput“ repositum est: „se eo die Letum capturum esse“ et quas Liv. lib. XLII 28. 11 in hac codicis scriptura: „ea duo- bus filiis ejus — ouotistum alterum gravi et periculoso morbo aegrum esse“ aperte inest lacuna, ea ex Val. Max. I 4. 20. „cum ex duobus filiis — alterum decessisse, alterum graviter audisset adfectum“ recte sic expleta est, ut post *alterum* adderent „decessisse alterum“, neque magis dubito, quo lib. XLV 12. 4., ubi cod. Vind. haec exhibet „Tabellas Popillius scriptum habentes tradit“ Livium hoc scripsisse „tabellas senatus consultum habentes“ Urenus et Kreyssigius recte dixerint, cum Val. Max. VI. 4. 3. sic eum expresserit: „Tabellas senatusconsultum continentes tradidit“. Restat unus locus, de quo ragamus ugam Liv. XLV 7. 5. enim quanta cum humanitate animique magnitudine Perseus, cum ad Cynoscephalas victus se ipse Romanis tradidisset, a Paulo Aemilio exceptus sit, his describitur verbis: Consurrexit consul, et jussis sedere aliis progressusque paulum introeunti regi dextram por- rexit, summittentemque se ad pedes sustulit nec attingere genua passus (negat ingenua passus cod. corr. Gryoaeus) introductum in tabernacu- lum adversos advocatos in consilium considere jussit (considare adver- sos sit cod.). Et quod Aemilius Perseo occurrit, manum ei porrexit, summittentem se adlevavit, id generose ab eo factum esse nemo negabit, quaenam vero eo contineatur humanitas, quod cum adversos advocatos in consilium — cum haec verba conjungenda sunt, cf. § 4. et Liv. XLIV 34. 1. quos advocavit in consilium — considere jussit, difficile est intellectu. Quod enim eum considere jussisse dicatur, in eo nihil singu- lare inesse, docemur eis, quae scripserunt Liv. XXXIX 23. 4: Ibi cum Philippus ad audienda crimina tanquam reus consedisset, et Quintil. inst. or. V 7. 32: Illae vero pessimae artes, testem subornatum in sub- sellia adversarii mittere, ut inde excitatus plus noceat, vel dicenda contra reum, cum quo sederit eta. Neque vero magis ea ullus continetur ho- nos, quod adversus advocatos in consilium considere jussus esse dicitur, imo honos potius futurus fuisse videtur, si illum inter Romanos consi- dere jussisset. Quod vero maximum est, omnes et historici, qui eandem rem Livium secuti narrant, de ea re ab eo dissentiunt, v. Val. Max. V.

I. 8. „Qui cum Persen parvi temporis momento captivum ex rege ad se adduci audisset, occurrit ei romani imperii decoratus ornamentis conatumque ad genua procumbere dextera manu adlevavit, et graeco sermone ad spem adhortatus est. Introductum etiam in tabernaculum lateri suo proximum in consilio considere jussit, nec honore mensae indignum judicavit.“ Flor. I. 28 (II. 12.) 10. „Sed nec reverentior captae majestatis alias Paulo fuit. Cum in conspectum venisset hostis, in tribunal (tribunali codd. corr. Halm) recepit et convivis adhibuit liberosque admonuit suos, ut fortunam, cui tantum liceret, revererentur“ (v. Liv. l. c. c. 8.). Eutrop. IV. 7. Ipse rex cum desereretur ab amicis, venit in Pauli potestatem. Sed honorem ei Aemilius non quasi victo habuit. Nam et volentem ad pedes sibi cadere non permisit, et juxta se in sella collocavit. Aurel. Vict. c. LVI. 4. (Aem.) iterum consul Persen, Philippi filium, regem Macedonum, apud Samothracas cepit, quem victum flevit (v. Liv. XLV. 4. 2.) et assidere sibi jussit. Reliqui historici latini nihil nisi Persem victum ab Aemilio et captum et in triumpho ductum tradunt, v. Oros. IV. 20. p. 276. Vell. I. 8. 4. Ampel. XVII. 2. Ex Graecis Plutarchus fusius quidem, quomodo Perses ab Aemilio receptus sit, exponit (Aemil. XXVI. XXVII.), sed compluribus et a Livio et a Valerio, ut solet, discrepat. Contra cum Valerio facit Dio, v. fr. 66. 5 *ὁ δὲ κύσαι βουληθέντα πρὸς τοῖς γόνασιν αὐτοῦ ἀναστήσας — ἐπί τινος θρόνου πάρεδρον αὑτῷ κατέστησεν* qui tamen propter ea, quae post *ἀναστήσας* addit, verba *καὶ ἐπιεικῶν ἄνθρωπε, τί μου καθαιρεῖς τὸ κατόρθωμα;* ex eodem potius atque Livius fonte, quam ex ipso Livio hausisse videtur. Sed Dionem facile missum facimus: sufficiunt ea, quae unus Valerius servavit, ad demonstrandum, quae nunc in codd. et edit. Livii leguntur, ab eo non ita scripta esse. Valerius enim, quum Livium expresserit, dubitari nequit. Qui quod dicit, Aemilium ornamentis imperii decoratum Perseo occurrisse, id sine dubio de suo addidit, quo major inter victum regem et consulem victorem in animo legentium existeret oppositio; idem quae deinde refert, consulem regem graeco sermone ad spem exhortatum esse et mensae suae adhibuisse, ex eis praesumpsit, quae Livius c. 8. exposuit. Restant haec: lateri suo proximum in consilio considere jussit, quibus eum illa, quae in codd. Livii sic habentur: adversus advocatus in consilium considere adversus sit, reddidisse apparet. Ac minus accurate „in

consilio“ posuisse videtur, pro eis, quae Livius scripsit „adversus in cena advocatos“, nisi ita sibi rem finxisse putandus est, consedisse consulem in tribunali in sella curuli et circa eum in hemicyclo advocatos in subselliis, cf. Rein d. röm. Privatrecht ed. I. p. 454. Liv. XLV. 29. 1. VIII. 32. 14. II. 29. 3. Tac. Ann. I. 75. II. 58. ita ut, si Perses consilio adsideret, sane eum adversus advocatos consedisse aliquo modo dici posset. In eis quae secuntur quibus verbis Livius usus sit, id quidem difficile est dictu, sed omnia recte se habere videntur, si eum haec scripsisse putamus: „considere ad se jussit“ aut si primas vocis corruptae litteras errore ex eis quae praecedunt repetitas esse existimamus, „considere juxta se jussit.“ Possunt vero etiam complura verba excidisse. In universum autem quam difficile sit judicare de scriptura per hos libros, nuper demum intellectum est, postquam Madvigius, quam incerta sint ea, quae de cod. Vind. hucusque innotuerant, exemplis demonstravit. Qui ut eam collationem, quam ipse enotandam curavit, (v. Em. L. p. 487) quam primum publici juris faciat, valde optandum est. Velut, ut exempla ponam, quae l. XLV. 23. 4. in cdd. leguntur: tam civitatium quam singulorum hominum mores sunt; gentes quoque aliae iracundae, aliae audaces, quaedam timidae, in vinum, in Venerem proniores aliae sunt, ea a Livio sic scripta esse non possunt. Dicendum erat, si quidem latine scribere volebat „civitatium mores eidem quam singulorum hominum sunt“ vel simile quid, sed haec eum scripsisse judico: „tam civitatium quam sing. hom. mores [diversi] sunt“. Neque magis recte se habere videntur, quae exstant ejusdem libri c. 27. sub fin. „Athenas inde plenas quidem et ipsas vetustate famae.“ Recte enim Athenae vetustate famae celebres vel memorabiles dici poterant; qui eas gloriae vetustate plenas esse scribere sustinuit, is certe se non recte cogitasse ostendit. Itaque reponendum esse censeo „plenas vetustae famae“ cf. IX. 43. 5. ceterum Hernicum bellum nequaquam pro — vetusta gentis gloria fuit, ubi in omnibus codd. pro *vetusta*, quod reposuit J. F. Gronovius, errore scriptum est *vetustate*, XXXI. 1. 7. claritate regum antiquorum vetustaque fama gentis, XXXV. 12. 11. vetusta regum Macedoniae fama.

Sed antequam huic commentationis meae parti finem imponam, de duobus Valerii locis quid sentiam breviter indicare libet. Quorum in priore quidem res satis aperta esse videtur. Valerius III. 2. ext. 1. cum

quem Livium secutus commemorat hominem Campanum, cum et in cod. Put. Livii utroque, quo ejus mentio fit, loco, XXIII 46. 12 et XXVI 15. 11, et in cod. Valerii Bernensi *Vibellius* nominetur, — levi enim ac solito errore in Bern. scriptum exstat *Vibellus* — Kempfium non recte fecisse apparet, qui codd. deteriores Valerii secutus scripsit „Iubellius" pro quo illud reponendum est. Neque magis dubito de altero loco, qui exstat Val. I. 1. ext. 4. Refert ibi Valerius honestum aliquod Timasithei Liparitanorum principis facinus, ex Liv. V 28 desumtum. Atque ab initio in codd. haec scripta sunt: „In quam (iram divinam) ne incideret, Timasitheus Liparitanorum princeps consilio sibi aliter atque universae patriae utili providit exemplo." In his verbis pro *aliter* Pighius recte reposuit *pariter*, sed restat etiam alterum mendum. *Pariter* enim ad *sibi* et *universae patriae* pertinere, ex collocatione ejus vocis apparet, pendent autem haec duo verba necessario ab adjectivo *utili*, quod conjungendum est, cum *consilio*. Hinc jam apparet, quod in codd. post *providit* positum est *exemplo* expungendum esse, ortum illud ex eo, quod sequitur *excepta*. cf. Val. M. VIII 15. 5. di pariter atque cives. II. 5. 2. honoris pariter atque contemptus. Saepe autem orationem Valerii sic singulis verbis interpretandi causa additis in codicibus turbatam esse, multis exemplis ostendi potest, cf. III. 2. ext. 1. ubi *dicente* et *affirmante* juxta posita sunt.

§ 3.

Julius Florus.

Valerium Maximum excipit Florus. Qui quamquam res ex Livii annalibus haustas brevissime perstringit, easdem plerumque aut consilio mutat, aut erroribus depravat, et ob eas ipsas causas usus ejus non tam late patet atque Valerii Maximi, tamen et ipsum non sine fructu adhiberi ad Livii verba emendanda atque restituenda certis exemplis me comprobaturum esse spero. Maxime autem attendendum est ad eos locos, ubi singulas Livii sententias aut cum acumine quodam dicta repetit. Id enim ubi fecit, ipsa haud raro Livii verba leviter mutata transscripsit. Ac fere nullus ejus usus esse videtur in prima decade. Res Albanorum enim

quod in codd. Flori I. 1 (4) 8 Mettus (metus cod. Bamb.) appellatur, ei non multum tribuerim. Haec enim ejus nominis scriptura quamquam satis antiquo tempore in usu fuit (v. Verg. Aen. VIII. 642 ubi vereor cum tectur, et Gell. N. A. XX. 1. 54) atque adeo pro veriore habenda esse videtur (v. interp. ad Liv. I. 23. 4. et Kempf ad Val. M. VII. 4. 1), et tribus locis (I. 28. 6 et 7) etiam a cod. Livii Med. exhibetur, tamen cum in reliquis Livii codd. qui in censum veniunt omnibus, P. V. Harl. 1. Leid. 1, ubicunque illius viri mentio fit, *Mettius* scriptum esse dicatur, idem praebeat cod. M. praeter illos tres locos, quos modo indicavi, ubique, consentiant cum his codd. Valerii Maximi VII. 4. 1, in Flori libro denique semel nomen illud occurrat, et in codice archetypo Livii Mettius scriptum fuisse concedendum est, nec id ex unius Flori auctoritate tot contra stantibus gravioribus testibus in *Mettum* mutandum. Sic paulo post (I. 1. [5. 2]) augur ille in codd. Flori audit Attus Navius, cum idem in codd. Livii I. 36. 3. praeter Leid. 1, in quo et ipso Atius exstare dicitur, omnibus et in codd. Pauli I. 4. 1 Attus Navius appellatur, v. Kempf ad l. c., qui aliorum scriptorum testimonia collegit. Sunt sane haec talia, ut nunc ad liquidum perduci vix possint, cum in iis jam ipsi Romani parum curiose versati esse videantur. Sed hoc altero loco restat aliud, quod commemoratione haud indignum esse videatur. Refert Livius I. 36. 4 regem Tarquinium ab Atto Navio petivisse, ut auguraret, fieri ne posset, quod ipse mente concepisset. Sequuntur in codd. haec: „Cum ille in augurio rem expertus profecto futuram dixisset: Atqui hoc animo agitavi, inquit, te novacula cotem discissurum.“ Quae verba cum Florus I. 1 (5. 4) sic reddiderit: ille rem expertus augurio posse respondit. Atqui hoc, inquit, agitaram, cotem illam secari novacula posse, Tanaquil Fabre praepositionem *in* ante *augurio* positam etiam in Livii verbis delendam esse censuit, simul rem experiri in re latine dici negans. Et hoc quidem sine dubio falso dixit, siquidem utrumque latine dicitur, ita ut, si quis rem aliquam augurio expertus esse dicitur, augurium ad illam ipsam rem experiendam institutum esse significetur, sin in augurio, per occasionem augurii alius fortasse rei causa instituti hujus quoque experimentum factum esse, cf. Liv. XXIV. 8. 13. in minore te experti, T. Otacili, re sumus. Itaque utrumque a Livio etiam illo loco scribi poterat, nec tantum

Flori auctoritatem valere puto, ut, quia ille alterum dicere maluit, lectionem omnium codicum Livii, quae per se rectissima habet, mutemus. Quamquam ne illud quidem negari potest, saepissime in codd. primae potissimum Livii decadis praepositionem *in* perperam aut additam esse aut omissam, cf. II. 48. 5 proximam in formam MP. ibid. 43. 8 instare pro stare MP. III. 2. 6. ad id certamen in quod instat M. V. 18. 5 insequentem pro in inseq. MP. VII. 32. 6 magis magisque inbelles pro in inbel. MP. VIII. 22. 6 primo insulas p. insulas. VIII. 30. 8 anugesta ingentem acervum p. in ing. ac MP. Atque eadem corruptela etiamnunc haerere mihi videtur in his verbis, quae exstant Liv. III. 38. Refertur, decemviros more senatus consulendi diu intermisso tandem duobus circumstantibus urbem bellis eum convocasse, sed paucos tantum senatores adfuisse. Secuntur haec causam inde ac solitudinem circa decemviros intuari, cum et ipsi (sc. decemviri) consensu invisum imperium, et plebs, quia privatis jus non esset vocandi senatum, non convenire patres interpretarentur. In his verbis illa „consensu invisum imperium" contra omnem rationem grammaticam posita esse semel dixisse sufficit. Neque enim latine dici potest: decemviri non convenire patres interpretabantur invisum consensu imperium, pro eo quod dicendum erat, quia consensu (vel potius omnibus) imperium invisum esset. Nec magis placet sententia, quae sic exsistit, tamquam decemviri tum demum imperium suum invisum esse intellexissent. Imo vero id cum jam diu nossent, tum illud potius timendum fuit, ne patres conjuratione facta non convenirent. Excidit, opinor, in codd. ante *invisum* praepositio *in*, quam si reposuerimus, et sententia et ratio grammatica constat, cf. de verbo *consensu* Liv. III. 36. 6. ibiq. W. IV. 41. 4 ibiq. W. IV. 14. 5. IV. 49. 5. V. 5. 10. V. 40. 6. VI. 20. 3. Neque magis dubito, quin Liv. XXII. 60. 2. ubi in cod. Put. haec scripta sunt: „Feminas quoque metus ac necessitas in foro ac turbae virorum immiscuerat", non cum editoribus vox *ac* ante *turba* posita sed praepositio *in* delenda sit. Utrumque enim contra morem majorum erat, et foro mulieres immisceri et turbae virorum, cf. Liv. XXXIV. 2. 11. nos, si diis placet, eas (mulieres) — patimur foro quoque et contionibus et comitiis immisceri. De voce *ac* tam parvo intervallo repetita cf. Liv. XXVI. 30. 9. tecta exhausta urbis ac refracta ac spoliata deum delubra. XXIV. 5. 3. XXII. 48. 4 tergaque ferientes ac poplites caedentes stragem ingentem ac

majorem aliquando pavorem ac tumultum fecerunt. Ceterum quem supra adscripsi locum, Liv. XXIV. 8. 15, eo Madvigius nuper (Emendatt. Liv. p. 269) ad alium Livii locum corrigendum uti voluit. Liv. XXIII. 45. 10 cum in codd. haec scripta sint (adhortatur Hannibal milites): „Romam vos expugnaturos, si quis duceret, fortes lingua jactabatis; enim minor res est. Hic experiri vim virtutemque volo. Expugnate Nolam, campestrem urbem, non flumine, non mari saeptam“, vir ille doctus sic scribi voluit: „en, in minore re experiri vim virtutemque vestram volo.“ At hanc mutationem audaciorem esse, quam quae facile alicui probetur, ne ipsum quidem eum negaturum esse puto. Videtur mihi Livius haec scripsisse: „Romam vos expugnaturos — fortes lingua jactabatis: *ea etiam* minor res est“, h. e. tamquam vero haec minor res esset, Romam, urbem flumine et mari saeptam, expugnare, quam Nolam urbem campestrem. Cf. de hoc usu particulae *etiam* Liv. XXXI. 7. 12. Manserunt enim Punico postea bello XXXII. 21. 28. egregie enim Dymas priore bello summa tutati.

Pergo ad tertiam decadem. Ac hujus primo loco mihi tractandus est locus satis speciosus ejusque, quem supra ex Valerio Maximo petui, prorsus similis, ex quo quantopere reliquis Livii codicibus praestet cod. P. intelligatur. Liv. XXI. 46. 8. enim postquam narratum est, P. Cornelium Scipionem in pugna ad Ticinum facta filii tum maxime pubescentis strenua opera manibus hostium ereptum esse, in cod. P. cum quo consentiunt cod. Med. et Cantab., haec secuntur: „Hic erit juvenis, penes quem perfecti hujusce belli laus est, Africanus ob egregiam victoriam de Hannibale Poenisque appellatus.“ In his verbis cum tempus futurum „erit“ ex rariore sane usu (cf. interprett. ad Liv. VII. 1. 1.) ita positum sit, ut futuri notio non ad id sit referendum, quod futurum est, sed quod jam factum scriptor postea narraturus est, in reliquis codicibus omnibus pro eo repositum est *erat*, quod et ipsum dici poterat et faciliorem sane habet explicationem. Ac fuerunt sane editores, qui cum vim illam futuri non perspicerent, hanc lectionem praeferrent. Attamen etiam hoc loco in Puteaneo veram lectionem, in ceteris codd. tantum non omnibus adulteratam haberi, docent ea, quae de eadem re scripsit Florus I. 22. (II. 6. 11.) „Hic erit Scipio, qui in exitium Africae crescit, nomen ex malis ejus habiturus.“ Ab omni enim veri similitudine abhorret, quod Alschefskius in adnotatione scripsit, videri sibi eum, qui

cod. P. scripsit, cum ei illa Flori verba in mente haererent, pro eo, quod in cod. Livii, quem descripsit, invenisset *erat*, ex Floro posuisse *erit*.

Ejusdem libri alio loco, qui nostro tempore multum dubitationis editoribus creavit, certam medelam me adhibere posse confido. Capp. 43 et 44 perscribitur Hannibalis oratio, qua ille milites suos exhortatus sit. Is inde a cap. 44 § 4 demonstrare studet, ab arrogantia Romanorum ultro lacessitos esse et tantum non coactos ad bellum eis faciendum. Secuntur inde § 5 haec verba. „Circumscribit includitque nos terminis montium fluminumque, quos non excedamus, neque eos quos statuit terminos observat. Ne transieris Hiberum! ne quid rei tibi sit cum Saguntinis! Ad Hiberum est Saguntum. nusquam te vestigio moveris.“ In his verbis haec „Ne transieris Hiberum! Ne quid rei tibi sit cum Saguntinis“ et „nusquam te vestigio moveris“ a Romanis dici fingi apparet, quae tamen interposita sunt, ut nunc res se habet, sive a Romanis sive ab ipso Hannibale ea dicta putamus, sensu carent, cum Saguntum ne fuerit quidem situm ad Hiberum. Itaque Crevierius „ea Hiberum“ scribendum esse conjecit. Freudenbergius „at eis Hiberum“. Weissenbornius denique in ed. Weidm. II. ea pro spuriis habuit et cancellis inclusit. Attamen est res simplicissima, quamque simpliciter indicasse sufficit. Oratio sic distinguenda est: „Ne transieris Iberum! Ne quid tibi rei sit cum Saguntinis! Ad Iberum est Saguntum? Nusquam te vestigio moveris.“ Ponit Hannibal exemplum quo demonstret, Romanos, quos semel posuerint terminos, ipsos non observasse. Itaque ipsos eos dicentes facit „ne transieris H., ne quid rei tibi sit cum S.“ Haec ipsa vero duo praecepta quantopere sibi repugnent et Romani ut terminos modo statutos semper proferant, ut indicet, ipse statim eos quasi interrumpit. Quid? num ad Iberum Saguntum situm est? Addit deinde aliud eorum imperium „nusquam te vestigio moveris“, quod quam indignum et ipsum sit, ut ostendat, deinceps queerens pergit parum est quod etc. Idem vero emendationis genus, quod hoc loco in usum vocavi, cum omnium lenissimum sit, ab editoribus fere prorsus negligitur. Velut Liv. XXIV. 25. 2. quae in editionibus exhibent: Quid enim eos sponte fecisse Hieronymum puerum, ac vixdum pubescentem facere potuisse? Tutores ac magistros ejus sub aliena invidia

regnasse", ea, ut nunc scribuntur, quam absurde dicta sint, post alios exponere piget, sed neque cum J. F. Gronovio, Crevierio, Drakenborchio *fecisse* delendum, neque cum aliis aliter mutandum est, sed simpliciter oratio sic distinguenda. Quid enim sua sponte fecisse Hieronymum puerum ac vixdum pubescentem? Facere potuisse? Tutores ac magistros ejus sub alieno invidia regnasse. En habes gradationem, quam illi frustra quaesiverunt. Brevitas significo, quae Liv. VIII. 32. 6. leguntur, ea sic esse distinguenda. Sed quid ego haec interrogo? Cum, si ego tacitus abissem, tamen tibi ad voluntatis interpretationem meae dirigenda tua sententia fuerit, quia tu respondes, vetuerimne te quicquam rei me absente agere? Papirius enim Fabio, etiamsi ipse tacitus abiisset, pugnandum non fuisse satis demonstravit, addit deinceps, se etiam nominatim vetuisse eum se absente quicquam rei agere. (Sed quid ego haec interrogo, cum etc. edd.) Neque magis dubito, quae lib. V. 43. 2. leguntur, ea Livium sic distingui voluisse. Adversus quos Romani nihil temere nec trepide. Ad omnis aditus stationibus firmatis, qua signa ferri videbant, ea robore virorum opposito scandere hostem sinunt. (Adversus quos — trepide ad omnis aditus etc. edd.) Ac ne in Livio permistam, Curt. X. 1. 1. quae verba editiones praeter Fossinum omnes sic exhibent: „Iisdem fere diebus Cleander et Sitalces et cum Agathone Heracon supervenimt, qui Parmenionem jussu regis occiderant, quinque milia peditum cum equitibus mille. Sed et accusatores eos e provincia, cui praefuerant, sequebantur", sic non recte se habere, Fossinus recte intellexit; nullo modo enim, quod Zumptius voluit, ducum nominibus per oppositionem copiae, quas adduxerant, adjungi possunt. Idem autem Fossinus quod contra omnes codices post *mille* addidit „adducentes", remedio longe petito uti maluit pro eo, quod paratum ad manus est. Sunt enim verba illa sic distinguenda: Iisdem fere diebus C. et S. et c. Ag. H. supervenimt, qui Parmenionem occiderant. Quinquem illis peditum cum equitibus mille, sed et accusatores eos e provincia — sequebantur. Ejusdem scriptoris l. VIII. c. 4 (16.) 26. ubi editiones haec exhibent (sunt verba Alexandri): „Achillem quoque, a quo genus ipse deduceret, cum captiva coisse: ne inferri nefas arbitrarentur, ita matrimonii jure velle jungi", neque vox *ita* a Zumptio recte defenditur et explicatur, nec ideo putandus est Alexander dixisse, se matrimonio cum captiva velle jungi, ne

aut Macedonibus aut Persis nefas inferretur, sed ne Macedones nefas ab eo committi arbitrarentur, ideo in memoriam eis revocat, etiam Achillem, generis sui auctorem, aliquando eam captiva coisse. Inde apparet, esse illa verba sic distinguenda: Achillem quoque, a quo genus ipse deduceret, cum captiva coisse, ne inferri nefas arbitrarentur; ita matrimonii jure velle jungi. Atque ut in Curtio, cujus semel mentio facta est, paulum commoremur, efficit Madvigius Liv. XXI. 32. 7. enim cum in codd. haec scripta sint: quamquam fama prius, qua incerta in majus vero ferri solent, praecepta res erat, Madvigius Emend. Liv. p. 217 et *in majus vero* usitate dici addito ablativo et *ferri in majus* negavit et sic scribi voluit: qua incerta in majus ferre efferri solent. Ac Curtium saepius singulas Livi sententias transscripsisse, jam supra (v. Introd.) indicatum est. Harum in numero illa esse videtur, quam modo adscripsi, v. Curt. IX. 2. (8) 14. „Nunquam ad liquidum fama perducitur: omnia illa tradente majora sunt vero.“ Quod si recte suspicor, jam Curtium „in majus vero“ legisse apparet, neque enim de altera illa re, quam Madvigius in controversiam vocavit, dubito, quin aeque bene „in majus ferre“ et „in majus efferre“ latine dicatur, cum ea notio, quam ille in *efferre* inesse voluit, ex parte jam in simplici verbo *ferre* inesse videatur et absolvatur additis illis verbis „in majus“. Saepe autem a scriptoribus latinis, ubi e verborum nexu jam ea notio evadit ac perspicitur, quae alibi per verbum compositum exprimitur, verbum simplex positum esse videmus, cum ex vulgari usu verbum compositum potius exspectaverimus. Sic *mittere* et *dimittere, emittere, omittere, venire* et *evenire, provenire, cadere* et *decidere* passim inter se permutantur. Curtius autem, ut ad hunc redeam, interdum etiam ipsa Livii verba transscripsisse videtur, cf. Liv. XXIV. 23. 5. quia id tutissimum ex praesentibus videbatur, Curt. X. 9. (29.) 17. tutissimum ex praesentibus videbatur. Liv. VI. 16. 3. nec aut ipsa plebs attollere oculos aut hiscere audebant, Curt. VI. 9. (36.) 32. non attollere oculos, non hiscere audebat. Idem alibi, ubi in simili re enarranda versatur, ea quae Livius scripsit quasi pro exemplo habuit, cujus ad similitudinem sua verba referret. Velut quae exstat gravis tempestatis descriptio Curt. VIII. 4. (14.) 2. seqq., ea aperte colorem duxit ex Liv. XXI. 58. cf. praeterea Curt. IV. 4. 35. seqq. et Liv. IX. 17, Curt. V. 5. (19.) 22. et Liv. XXI. 45. 6, Curt. VIII. 13. (44.) 7. et Liv. XXVI. 5. 16, Curt. IX. 10. (42.) 22.

seqq et Liv IX 17, Curt. IV 1 (2) 7 seq Liv XLV 4. Hinc non dubito, quin Jeepius, (Muetzell Zeitsch f. Gymn 1850 I p 58) quae Curt IV 7 (32) 29 in optimis codd Bern. A. Leid sic corrupta exstant verba (refertur Alexandrum ab oraculo Ammonis filium Jovis judicatum esse). „vera et salubri aestimatione fidem oraculi vana profecto responsa si videri potuissent“, recte in hunc modum emendaverit. „vera et salubri aestimatione fidem oraculi vana profecto responsa *eludere* potuissent.“ Curtio cum haec scriberet sine dubio in mente haerebant ea, quae Livius, ubi Scipionem Africanum a volgo pro filio Jovis habitum esse refert, l XXVI 19 8, addit: „his miraculis nunquam ab ipso elusa fides“ est, frustra obloquente Ed Fossio, quaestion Curtian (Altenb 1852) p 46. Idem Jeepius quod Curt IX 10 (41) 18 quae codd praebent verba „omnium rerum sola fertilis regio est“ in hunc modum mutari voluit (Jahn Jahrb f Philol Vol LXVI) „omnium rerum *copia* fertilis regio est“, sine dubio erravit Quod enim, ut sententiam suam confirmaret, primo loco posuit argumentum, non ex usu Curtii *fertilis* cum Genitivo conjungi, cum Livius (V. 44 2 Gallis — frugum hominumque fertilis) idem admiserit, ut putemus Curtium id non dixisse nulla est causa quae nos permoveat. Adjectivum *sola* autem, quod intelligi non posse Jeepius dicit, (*sola* Modius scribi voluit, *solo fertili* Schiefer, *sola fertilis* Acidalius) hanc explicationem habere videtur Et *unus* enim et *unus omnium* sic saepe cum superlativo aliquo conjungi, ut eo vis superlativi augeatur, inter omnes constat (v Madvigii ars gr § 310, 2) Idem vero usus etiam longius patet. Neque enim solum cum superlativo, sed etiam cum positivo atque adeo simplici verbo *unus* sic conjungitur, ut tamen inde exsistat notio superlativi et *unus* idem fere valeat, atque alibi *prae omnibus* cf Hor Sat II 6 57 jurantem me scire nihil miratur ut unum scilicet egregii mortalem altique silenti Cic. ad Att I 19 8 sic mitigata sunt comitate quadam mea, me unum ut omnes illi colant. Jam vero ea ratione non etiam *solus* sic usurpatum esse videtur, cf Verg Aen. IV 322 (loquitur Dido) et qua sola sidera adibam fama prior, h e fama, qua prae aliis virtutibus sidera adibam Curt X 5. (18) 28 quorum haec (fortitudo) sola virtus fuit h e qui prae aliis virtutibus fortitudine excelluerant Sic regio prae aliis omnium rerum fertilis dici poterat regio sola omnium rerum fertilis. Alium Curtii locum me ipsum

satis probabili emendatione ex Livio restituere posse confido. Lib. III. 5 (6.) 2 seqq. enim refertur, Dareum cum somniis sollicitatus esset, vates ea varie interpretatos esse. Alios laeta regi portendi dixisse. Secuntur in codd. optimis Leid. Bern. 1. Voss. 1. haec: Quidam non augurabantur, quippe illustria Macedonum castra visa fulgorem Alexandro portendere. In codd. Flor. A. B., quos tamen et ipsos in interpolatis habendos esse mox alio loco me demonstraturum spero, in illo haec scripta sunt: Quidam vero ita aug. etc., in cod. Flor. B. Quidam vero augur., in deterioribus codd.: Quidam vero non ita aug. Hinc ex editoribus alii „Quidam contra aug.“ scripserunt, Zumptius cod. Flor. B. secutus „Quidam vero aug.“ Fossius denique „Quidam non ita laeta aug.“ At Curtium ita scripsisse judico: Quidam non [tam laeta quam vera] aug. etc. cf. Liv. IX. 2. 1. Haec non laeta magis quam vera vaticinatus. Alii scriptores quantopere ea sententia delectati sint, ea quae, quae vera sunt, eadem plerumque non sunt laeta, maxime ex tragicis graecis constat.

Sed redeo ad Livium. Hujus libri XXX. c. 6. postquam fusius expositum est, qua ratione bina Syphacis et Hasdrubalis castra ab exercitu romano ducibus Scipione et Laelio Masinissaque bifariam partito per noctem incensa atque deleta sint, § 6. in codd. recentioribus haec secuntur verba: „quos non oppresserat ignis, ferro absumpti, binaque castra die una deleta.“ Hanc lectionem probavit Sigonius collato loco Appiani, qui Libyc. c. XXIII. de eadem re haec scripsit: καὶ Ῥωμαῖοι διὰ τόλμης μιᾶς ἐν ὀλίγῳ μέρει νυκτὸς δύο στρατοπέδων καὶ δύο στρατῶν πολὺ μειζόνων ἐκράτησαν ὅμως in reliquis autem cum a Livio dissentiat, ex eo non hausisse putandus est. Sed recte dixit jam Gronovius, Livio, si tempus significare voluisset, necessario scribendum fuisse non *die una* sed *nocte una*, et post Gronovium Drakenborchius, Livium ex suo dicendi usu dicturum fuisse non *die una* sed *die uno*. Probavit igitur uterque eam lectionem, quam jam editiones veteres et ut videtur etiam codices nonnulli recentiores exhibent: „binaque castra clade una deleta.“ Eandem recentiores editores in ordinem verborum receperunt, quorum Weissenbornius in ed. Teubn. vol. III. praef. p. XXI. Livium *hora una* scripsisse suspicatur. In cod. P. cum neque *die* neque *clade* sed haec exstant: „castrade una.“ Nec quin id, quod nunc editiones exhibent, recte se non habeat, dubito. Ne-

que enim uno vinde idem valet, atque quod Appianus posuit, *διὰ μιᾶς τόλμης*, nec in eo, quod bina castra igni deleta sunt, quidquam inest quod tam memorabile sit, ut Livius hoc loco tanta cum vi pronuntiasse videatur: imo id aliter non per ignem vix fieri poterat. Exspectamus potius, id quod recte intellexit Weissenbornius, indicatum esse breve temporis spatium, quo bina castra deleta esse dicuntur, cf. quos Weissenbornius attulit Livii locos et locum Appiani. Vera lectio a Floro servata esse videtur, qui I. 22 (II. 6.) 56. de eadem re haec scripsit: „Quae quotaque utraque (Syphacis et Hasdrubalis) castra facibus illatis una hora delevit.“ Nimirum Florus ex more suo omissa ipsius pugnae descriptione id tantum ex Livio arripuit, in quo summa totius rei contineri quodque cum vi quadam atque acumine dictum esse ei videbatur. Atque, nisi fallor, etiam Aurelius Victor cum XLIX. 13. haec scriberet: „Hasdrubalis et Syphacis castra una nocte perruperunt“ ad hunc Livii potius locum quam ad ea, quae Florus scripsit, respexit. His igitur duobus locis fretus etiam Livii verba sic restituenda esse judico: „binaque castra una nocte deleta“. Livius quod alibi castra illo una hora rapta esse dicit, id non fit nisi in orationibus, ubi rem rem fere augere constat, cf. praeterea XXV. 39. 10. Ita nocte ac die bina castra hostium expugnata ductu L. Marcii. Ceterum vereor, ne etiam Liv. V. 43. 4. pro eo, quod codd. praebent „per eos dies“, non cum Gronovio scribendum sit „per [eos] ipsos dies“ sed „per ipsos hostes“. Nam et oppositionem pronomen *ipse* efflagitare videtur neque quonam tempore sed quibus frumentum ex agris deportatum sit, quaeritur. Sed haec, cum sit mutatio satis difficilis, ipse dubitanter posui.

Livius ubi exponit de expeditione Cn. Manlii Vulsonis contra Gallograecos facta, tres eorum gentes fuisse dicit XXXVIII. 16. 11, Tolistobogiorum, Trocmorum, Tectosagum, ac certe editiones nomina earum scripta exhibent, quae in eis quae sequuntur passim occurrunt. Ac dubitari non nequit, quin ea gens, cujus nomen primo loco posui, a Graecis appellata sit *Τολιστοβώγιοι* aut *Τολιστοβώγιοι*. Praeterquam enim quod boni codices eorum scriptorum graecorum, qui eorum mentionem faciunt, quas praebent ad alterutrum formam ducunt (*Τολιστοβόγιοι* Polyb. XXII. 20. *Τολιστόβογοι* App. Syr. 42. *Τολιστοβόγιοι* aut *Τολιστοβώγιοι* Ptolem. *Τολιστοβωγίους* eos appellatos esse ab Eratosthene tradit Steph. Byz.), de priore

utique nominis parte et non dubitemus, efficit inscriptio nuper reperta atque ab I Franzio ejus libri, quem inscripsit „5 Inschriften u 5 Städte in Klein-Asien (Berl 1840), p. 21 seqq explicata, cujus hoc est initium Ἡ βουλὴ κ[α]ὶ ὁ[δ]ῆ[μ]ο[ς Σεβαστη]ν[ῶ]ν Τολιστοβ[ωγίων] (quae cancellis a me inclusae sunt litterae, eae certo dignosci non potuerunt) Jam vero Livii codd, quorum certum notitiam habemus, omnes et inprimis cod Bamb ubicunque gentis illius mentio fit (XXXVIII. 16. 11 et 12 c 19 1 et 2. c 27 1) Tolostobogios eos appellant. (Tobastoboiorum in cod Bamb exstare dicitur c 15 15) An debebant qui Livium ediderunt jam ob hanc consensum a lectione codicum non recedere Rectissime enim C Nipperdejus, vir doctissimus mihique precarus ac venerandus, spicilegii in Cornel Nep p 47 dixisse mihi videtur, in barbaris nominibus ab eis, qui scriptores latinos ederent, si quid in optimis codd constantia quadam scriptum esset, id, etiamsi graecorum scriptorum contra staret auctoritas, servandum esse, cum haec nomina non ab omnibus eodem modo pronuntiata et scripta esse viderentur Quam ejus sententiam mirifice confirmant inscriptiones latinae. Sic et Mithridates et Mithradates et Mithredates a Romanis scriptum esse inscriptionibus docemur, v O Jahn, Spec. epigr, inscript columb min 23 „Ego sum L Lutatius Paccius thurarius de familia rege Mithredatis“ et p 62 Nec fugit id prorsus editores Velut reges Aegypti a Romanis fere Ptolomeos appellatos esse et ex inscriptionibus discimus et optimi codd, Livii Put Flori Bamb Valerii Maximi Bernen Justini Par Gies Marb alii aliorum, demonstrant, nec Weissenbornius hanc lectionem respuere ausus est, (v adn ejus ad Liv XXIV 26 1) quamquam etiam altera illa forma, qua Graeci utuntur, sine dubio vetior Ptolemei in usu fuisse videtur Sed est etiam alterum argumentum, quo Livium Tolostobogios scripsisse docemur. Quamquam enim et in codd Flori I 27 (II 11) et in cod Naz periocharum Livii nomen illud leviter corruptum est, in altera tamen syllaba, de qua hoc loco agitur, ad unum omnes pariter atque Bamb Livii litteram o tuentur, colosobegi cod Bamb Flori, solostologiorum Naz., colosobegi cod Naz Jord, Tolosobogios cod Naz. perioch Itaque quin Livius Tolostobogos scripserit, dubitari nequit, quod qui vere dictum esse negabunt, eis demonstrandum erit, quomodo factum sit, ut, qui codd Livii, Flori, periocharum scripsere, in hac corruptela ad unum omnes consentirent Ac vide-

tur ac sic quidem res absoluta esse. Nam etiam Plin. N. H. V. 146 quo uno loco, quod equidem sciam, praeter eos, quos supra indicavi, in scriptoribus latinis illud nomen invenitur, optimi codd. ad unum omnes in altera syllaba litteram o tuentur. (Tolostobogi Riccard. Tolet. Chiffl. Tolostobogiorum Riccard. in iis quae secuntur, Tholostobogiorum Neap. a pr. m.) Dicendum igitur erit, non Livium solum hac forma usum esse, sed fuisse eam a Romanis receptam. Ac videtur saepius in sermone latino factum esse, ut littera o eam adhiberet vim in litteras vocales, quae aut antecederent aut sequerentur, tenuiores, imprimis e et *i*, ut et ipsae mutarentur in o. Velut reges Aegypti Ptolomaeos Romanos appellasse jam supra commemoravi, eodem vero pertinere videtur, quod Megalopolis dicere maluerunt quam Megalapolis (v. Liv. XXVIII. 8. 6 et saepe), atque adeo videndum erit, ne non etiam, quod et in inscriptione quadam (Apolones Or. syll. 1433 = Lanci, saggio di l. Etr. II. 275 = Zell Ep. § 1. n. 48. Dicitur esse „antiquissima inscriptio in lamina aerea") et in nonnullis bonis codd. (Apollonem Enn. ap. Cic. de div. I. 21. 42. Appolonis cod. M. Liv. IV. 25. 3. Apollonis idem V. 23. 8. Apolloni Put. XXIX. 10. 6. ibiq. Weissenb. Appollonis cod. Marb. Justin. II. 12. 8. Appolloni cod. Paris. Justin. IX. 7. 13. cf. Preller roem. Myth. p. 268 not. 3) invenitur, Apollonis, ex hac potius assimilationis lege explicandum sit, quam et meminisse qui sic scriberent, hanc esse veterem hujus nominis formam (cf. Corssen ueb. Aussp. etc. d. lat. Sp. 1. p. 284) dicamus, quod parum verisimile esse videtur. Alteram deinde Gallograecorum gentem et Tectosages et Tectosagos Livium appellasse codd. docere videntur (Tectosages cod. Bamb. XXXVIII. 16. 11 et 12. Tectosagum c. 25. 4 Tectosagi c. 26. 2. Tectosagis c. 18. 3. c. 24. 1. Tectosagos c. 19. 1. 2.), eidem Σεβαστηνοὶ Τεκτόσαγες appellantur in insc. v. Franz. l. c. Tectosagi Flor. 1. c. Tectosages Plin. 1. c. Sed in eodem Livii lib. XXXVIII. etiam aliud nomen restituendum est. Quae enim *Cephallenia* vulgo audit insula, ejus nomen in cod. Bamb. constanter scriptum est Cephallania aut Cephalania (XXXVIII. 9. 10. 28. 7. XXXVII. 13. et 50. XXXVIII. 10. et 11. XXXVI. 11. 12. XXXVIII. 43.). Ac sic a Livio scriptum esse docet cod. Bamb. Flori, in quo et ipso 1. 25. (II. 9.) scriptum est Cephallaniam. Sed etiam hoc, hanc formam non a solo Livio usurpatam esse, sed quod Romanos volgatam fuisse, docere videtur Valerii Maximi cod.

Bern., in quo et ipso I 8. ext. 18., eum Valerius, quae ibi narrat, ex Livio hausisse, scriptum est *Caephalania* (Cephalania cod. Vind. et Berol. alter) Itaque et apud Livium et apud Valerium Cephallania restituendum erit.

Restat ut nonnullos Flori locos ex Livio emendem. Ac primo quidem de quo nunc agam loco certissima emendatione, quod Florus scripsit, reponere posse mihi videor. Floc I 28 (II 12 5) cum populus romanus, ut regi Persae bellum faceret, „per *Ashidam* (ostusdam cod. Naz.) paludem Perrhaeboque tumulos“ in Macedoniam irrupisse refertur ac regem securum deprehendisse. Ac de Perrhaebis tumulis quidem in finibus Thessaliae sitis inter omnes constat, cf. Liv. XLIV. 2. 8 in Perrhaebiam inde durit etc., de palude Ashida nihil compertum habemus nec est omnino id verbum graecum aut latinum. Simpliciter reponendum est „per Asrucidem paludem“, quam paludem et ipsam in finibus Thessaliae sitam fuisse ac Marcium consulem praeter eam duxisse ex Livii l. XLIV. 2. 7 et 11 scimus. Cf. praeterea Ampel. c. XVI 4 qui et ipse Livium secutus est (sgrium cod. Monac. ex Dukeo) Neque magis dubito de altero Flori loco, qui exstat ejusdem capitis § 3. Refertur, Macedonas sub Persa rege vehementius quam sub patre ejus Philippo exsurrexisse. Leguntur deinde haec: „Quippe Thracas in vires suas traxerant (traxerat cod. Bamb.) atque ita industriam Macedonum viribus Thracum, ferociam Thracum disciplina macedonica temperavere.“ Hanc lectionem Jahnius recepit, ita tamen, ut in annotatione pro „*in vires*“ scribendum sibi videri *in res* significaret, eamque conjecturam Halmius in ordinem verborum recepit (*auxilia* civitatum graecarum ad vires suas trahere dixit Justin III. 2. 3) Eandem rem Livius, quem Florus sequitur, his verbis exponit XXXIX 24. 4 sed Thracum etiam (Philippus) magnam multitudinem in Macedoniam traduxerat et XL 4. 3 omnem fere multitudinem civium ex maritimis civitatibus cum familiis suis in Emathiam — traduxit Thracibusque et aliis barbaris urbes tradidit habitandas. Hinc Florum haec scripsisse apparet: „Quippe Thracas in urbes suas *traduxerant*.“ Tertio denique loco ea quae in codd. exstant corrupta esse demonstrare possum, quid Florus scripserit, dicere nequeo. Lib. I. c. 29 (II. 13) enim, quo capite bellum Illyricum exponitur, in codd. haec leguntur: Scodram caput gentis deesse sufficit; statim secuta deditio est. Haec

per se mire dicta sunt tanquam parum fuisset caput gentis delesse, nisi illi se dederent[1] cf. I. I. 25 (II. 9.) caput gentis Ambraciam mentionis quatit, secuta deditio est. Sed accedit alterum. Livius ubi idem narrat XLIV. 31. Romanos ad moenia urbis accessisse refert, hinc oppidanos erupisse, hinc, cum intra moenia compulsi essent, statim urbem dedisse. Idem quin a Floro expressum fuerit, non dubito, qui quo verbo usus sit, ut jam indicavi, dicere nunc nequeo.

§ 4

Plutarchus. Dio Cassius.

Plutarchus et Dio Cassius quamquam ex ea, quam supra de eis proposui, sententia hoc loco excludendi erant, prorsus tamen eos praeterire nolui. Ac de Plutarcho quidem etiamsi quis aliter judicaverit, atque ipse de eo judicandum mihi esse putavi, ad Livii tamen verba restituenda multa inde peti posse nego: adeo obique de fide ejus atque diligentia, qua auctores suos expresserit, dubitandum est. Quod vero a me dictum esse, etiam ex eis exemplis, quae deinceps ponam, elucebit.

Liv. XXVII. 1. seq. refertur, Marcellum consulem cladem Cn. Fulvii proconsulis ad Herdoneam acceptam litteris Romam nuntiasse atque ipsum e vestigio contra Hannibalem, ut laetitiam ei brevem faceret, ducturum significasse. Secutae haec (c. 2, 3.): Et Romae quidem cum luctus ingens ex praeterito, tum timor in futurum erat. Haec Livii verba Plutarchus Marcell. c. XXIV. sic expressit: καὶ ταῦτα μὲν ὁ Λίβιός φησιν ἀναγνωσθέντα τὰ γράμματα μὴ τῆς λύπης ἀφελεῖν, ἀλλὰ τῷ φόβῳ προσθεῖναι. Nec fugit Weissenbornium, inter eam sententiam, quam proposuit Plutarchus, et eam, quam lectio codicum Livii praebet, aliquid discriminis intercedere. Itaque ut hanc difficultatem expediret, qua uti solet in his rebus cautione, Plutarchum Livii verba parum accurate reddidisse sibi videri adnotavit. Qui vereor ne hoc loco Plutarcho imputaverit, quod imputandum erat eis, qui codices Livii scripsere. Quid enim? An unquam, quamdiu Hannibal in Italia versatus est, Romani metu ac timore caruerunt? Livius certe pavorem cum Poeno demum ex animis hominum excessisse affirmat. Cur igitur, si Romanos metu teneri illius temporis minime proprium et peculiare erat, cum id hoc potissimum loco pronun-

hasce putabimus? At multo aptius sine dubio Plutarchus dixit, litteris Marcelli neque quidquam detractum esse de luctu et timorem, qui et ipse jam erat, etiam auctum. Accedit altera causa, quae de lectione codicum scrupulum moveat, in extrema orationis forma illa quidem posita. Illa enim Livii verba cum arte quadam composita esse neminem fugit; respondent sibi hae singulae notiones: cum tum, luctus timor, ex praeterito in futurum. Superest unicum illud *ingens*, quod quo referatur non habet. Quae quidem incommoditas ne ita quidem removetur, si *ingens* etiam ad *timorem* traxeris, quod nec rationes grammaticas fieri posse patet. Restat, ut quid Livius scripserit dicam. Ac videtur is, qui cod. P. aut eum, ex quo hic ductus est, exaravit, quae hic ponenda censui, semel scripsisse et Plutarchus haec legisse. „Et Romae quidem cum luctus ingens ex praeterito, tum timor [major] in futurum erat.“ Ceterum ejusdem libri c. 50. 1. quod intellexisse mihi videor, post „pugnam“ excidisse participium aliquod, idem a Madvigio Emend. Liv. p. 329 nunc indicatum video. Livius utrum *regressus*, quod ille reponi vult, an, quod mihi in mentem venerat, *profectus* scripserit, in dubio relinquendum est.

Liv. XXXIX. 42. 8. seqq. L. Quinctii Flaminii atrox factum refertur. Eum enim, cum consul Galliam provinciam obtineret, nobilem aliquem Bojum, qui ad se transfugisset, sua manu trucidasse. De ea re §. 10. in codd. haec scripta sunt: „forte epulantibus eis — nuntiatum in convivio esse nobilem Bojum cum liberis transfugam venisse.“ Ad hunc locum respiciens Plutarchus Flam. c. XVIII. haec scripsit: *ὁ δὲ Λίβιος ἐν λόγῳ Κάτωνος αὐτὸ γεγράφθαι φησὶν ὡς Γαλάτην αὐτόμολον ἐλθόντα μετὰ παίδων καὶ γυναικὸς ἐπὶ τὰς θύρας, δεξάμενος εἰς τὸ συμπόσιον ὁ Λεύκιος ἀπέκτεινεν.* Quem si accurate Livium expressisse putabimus, haec legisse dicendum erit: nobilem Bojum cum [conjuge ac] liberis etc., sic enim Livius ubi has duas voces conjungit dicere solet, v. I. 59. 11. III. 68. 4. V. 2. 12. V. 39. 9. V. 40. 9. VI. 33. 7. VII. 11. 6. VIII. 15. 4. VIII. 19. 12. VIII. 37. 3. XXXVIII. 15. 5. alios locos. Nec me fugit, rem esse levis momenti et facile fieri potuisse, ut Plutarchus illud de suo adderet, videtur tamen id magis toti relationi Livii tueri convenire, si Bojus cum conjuge ac liberis venisse dicitur, cum in lectione codicum illud, eum venisse cum liberis, tanquam singulare aliquid additum esse videatur, in quo tamen nihil singulare inest.

Atque his quidem locis illud saltem certum est, Plutarchum Livium expressisse, multo vero difficilius est judicatu de iis locis, ubi ne de ea quidem re constat. Uno utor exemplo. Liv. XLV 41 Aemilius Paulus de rebus a se gestis ad populum exponit. Ibi § 4 in cod. Vindob. haec scripta exstant: Inde quinto die Delphis Apollini pro me exercitibusque et classibus lustri (vestris Sigon. edit.) sacrificavi. A Delphis quinto die in castra perveni, ubi exercitu accepto mutatis quibusdam etc. Hanc orationem Plutarchus Aem. Paul. c. XXXVI exponit, qui de eadem re haec scripsit: *πεμπταῖος δ' ἐκεῖθεν ἐν Δελφοῖς τῷ θεῷ θύσας, ἡμέραις πάλιν πέντε τὴν δύναμιν ἐν Μακεδονίᾳ παρέλαβον καὶ τὸν εἰωθότα συντελέσας καθαρμὸν κτλ.* Qui si, cum haec scriberet, Livium expressit, quod voluit Sigonius, tum in cod. Vindob. quod post *classibus* scriptum est *lustri* errore locum mutasse et infra Livium haec scripsisse dicendum est: ubi exercitu accepto *et lustrato* vel *lustratoque*, de qua re etiam Weissenbornium aliquando cogitasse video, cf. XXXVIII 12. 1 acceptisque copiis ab L. Scipione et exercitu lustrato. Sed de ea re ut dubitem, eo efficitur, quod Appianus, qui Livium non sequitur, Maced. c. XIX eandem orationem eadem fere quibus et Livius et Plutarchus usi sunt verbis exponit, is vero et ipse lustrationis nullam facit mentionem (*πέμψαι δὲ ἄλλους ἐς Θεσσαλίαν παραγγεῖλαι καὶ παραλαβεῖν τὸν στρατόν*). Videtur igitur etiam hoc loco communis trium illorum scriptorum fons fuisse Polybius, neque ex eis, quae Plutarchus aut Appianus scripsere, necessario concludi posse, eadem a Livio scripta fuisse.

Plane singularis res est in Dione Cassio, cujus pauca tantum fragmenta eaque abrupta et ex parte parum integra ad orationem Livii restituendam adhibere licet, unde, quem ille secutus sit auctorem, plerumque ne cum verisimilitudine quidem ulla divinari potest. At de uno certe loco sententia mihi constat, quam statim proponam. Liv. XXI 19 refertur, legatos romanos, qui Carthaginiensibus bellum indixerant, cum inde reverterentur, complures adiisse Hispaniae populos, quos ad societatem Romanorum adducerent, sed ab his repulsam tulisse. Sequuntur in cod. haec (c. 19 s. f. c. 20): „ita nequiquam peragrata Hispania in Galliam transeunt. In eis nova terribilisque species visa est, quod armati — ita mos gentis erat — in concilium venerunt.“ Haec ita se recte habere non posse, ab omnibus intellectum est praeter unum

Aschefskium, qui Livium „non admodum diserte scripsisse“ vult. Sed tempus perfectum *venerunt* et quae sequuntur verba „in ceteris Galliae conciliis“ indicio sunt, antea de certo quodam Galliae populo sermonem esse debere. Itaque J. F. Gronovius pro *in eis* scribendum esse conjecit *In Arvernis*, Iac. Gronovius „Ruscinone“, alii alia. Quae tamen omnia tentamina, ut alia omittam, eo laborant, quod, si ita ut illi voluerant scribimus, oratio post „transeunt“ prorsus intolerabili modo abrumpitur. Accedit alterum, quod simul viam emendationis demonstrat. In Dionis enim fragmentis hoc habetur (fr. 56. 1. ed. Bekk.): *οἱ Ῥωμαῖοι Ναρβωνησίους πρὸς συμμαχίαν ἐκάλουν· οἱ δὲ οὔτε τι πρὸς τῶν Καρχηδονίων κακὸν οὔτ' οὖ πρὸς τῶν Ῥωμαίων ἀγαθὸν, ὥστε τοῖς μὲν πολεμῆσαι τοῖς δὲ ἀμῦναι, πεπονθέναι πώποτε ἔφασαν, καὶ πάνυ δι' ὀργῆς αὐτοὺς ἔσχον ἐπικαλοῦντές σφισιν ὅτι πολλὰ καὶ δεινὰ τοὺς ὁμοφύλους αὐτῶν ἐδεδράκεσαν.* Haec de eadem re scripta esse, de qua Livius l. c. exponit, patet. Simul vero etiam illud apparet, quam prope verba Dionis ad similitudinem verborum Livii accedant, quae si graece reddere volueris, ea fere habebis, quae Dio scripsit. Itaque enim hoc loco aut Livium aut eundem eum illa auctorem, qui Coelius fuisse videtur (v. Lachmann com. II p. 36), expressisse ut statuamus necesse est. Jam vero cum in verbis Livii certi cujusdam populi nomen aut excidisse aut corruptum esse inter omnes constet, sive hoc sive illud sumimus, enim nullum alium nominare potuisse quam Narbonenses sequitur. Quare haec eum scripsisse suspicor: Ita nequicquam peragrata Hispania in Galliam transeunt eorumque primos Narbonenses adeunt.“ Cf. Cic. ad Att. I. 19. 2. senatus decrevit, ut — legati cum auctoritate mitterentur, qui adirent Galliae civitates darentque operam, ne eae se cum Helvetiis jungerent. Liv. VIII 2. 9. (legati) cum adissent senatum, ibid. I. 7. XXVI 20. 1. Videtur is, qui codicem ex quo nostri hujus decadis libri omnes descripti sunt exaravit, a verbo *transeunt* omissis eis, quae interposita erant, aberrasse ad *adeunt*. Ceterum ita aut similiter si Livium scripsisse sumimus, nulla jam restat causa, cur Dionem Coelium potius, cujus, quod equidem sciam, in fragmentis ejus nulla appareat vestigia, quam hunc, cujus annales et nosse eum et adhibuisse certum est, secutum esse dicamus. Nam et in eis quae antecedunt fragmentis (v. fr. 55. 10. et Liv. XXI. 18.) et in eis quae sequuntur (cf. fr. 57. 4. et Liv. XXI. 42.) mire cum eo consentit.

§ 5

Eutropius Aurelius Victor Orosius

De his tribus scriptoribus antequam agam, reprendum mihi est, quod jam supra indicavi, ex eis quae ad Livii orationem in pristinam integritatem restituendam peti possint, exhauriri non posse, nisi antea, quid ubique in codicibus eorum bonis illis quidem quibusque fides haberi possit, scriptum sit, viri alicujus artis criticae periti opera educamur. Id ipsum vero in causa fuit, cur hoc loco una paragrapho eos comprehenderem. Quamquam ad Eutropium et Aurelium quod attinet, etiamsi illud cesserit, quod mox cessurum esse spero, haud multa eos suppeditaturos esse puto. tum breviter res perstrinxerunt, praeter Livium alios auctores adhibuerunt, ipsa illius verba rarissime unwerunt. Neque tamen hoc eos fecisse aliquando exempla nulla docent. Velut Liv. I. 57. 8 regios illos juvenes, cum citatis equis, ut uxores suas necopinato adventu opprimerent, inde, quibus in rebus occupatas eas deprehendissent, de ingeniis earum conjecturam caperent, Ardea Romam et inde Collatiam avolassent, Lucretiam „haud quaquam ut regias nurus, quas in convivio luxuque cum aequalibus viderant tempus terentes, sed nocte sera deditam lanae" invenisse traditur. *In convivio luxuque* omnes exhibent codices. J. F. Gronovius, qui convivium et luxum recte sic componi negavit, *luxuque* pro *luxuque* scribi jussit. Ei postea vir et ipse summae auctoritatis Im. Bekkerus obsecutus est. Sed Aurelium Victorem ubique idem legisse, quod in nostris Livii codicibus exstat, eo evincitur, quae ille cap. IX. 2 de eodem re scripsit: „Regias nurus in convivio et luxu deprehenderunt." Nec dubito, quin id ab ipso Livio profectum sit. Qui quamquam rectissime et elegantissime scribere poterat, quod Gronovius voluit, tamen qui minus eum ea, quae codices exhibent, eadem fere sensu, atque si scripsisset *in convivio luxuriosa*, posuisse arbitremur, nulla exstat causa quae impediat. Ejusdem libri alio de loco, quae mihi subinde oritur, suspicionem silentio praeterire nolo. Cap. 5. 3 seq. enim narratur, Remum a latronibus captum regi Amulio traditum et ultro accusatum esse. Sequuntur haec: „crimini maxime dabant in Numitoris agros ab eis impetum fieri, inde eos collecta juvenum manu hostilem in modum praedas agere." Sic quidem codices, sed Livii ex meo quidem judicio et linguae latinae quantulacunque scientia

necessario aut scribendum erat *impetum factum esse* aut *impetus fieri*, cf. Justin. XLIII 2, 9 „crimini datur, quasi greges Numitoris infestare solitus esset.“ In unum enim notionem hae duae voces ita, ut promiscue numeris et plurali et singulari uterentur, velut promiscue dixerunt *manum conserere* et *manus conserere*, apud Romanos, quod innumquidem scio, nullo tempore coaluerant, cf. ejusdem libri cap. 4. 9 „in latrones praeda onustos impetus facere pastoribusque rapta dividere“, I 40. 5. VII 42. 4 „in aedis C. Manli nocte impetum factum eumque a conjuratis comprehensum.“ Itaque Livium etiam hoc loco, ubi de re saepius repetita agit, *impetus fieri* scripsisse censeo. Litterae *s* et *m* autem in fine verborum positae cum in codicibus fere lineolis litterae quae antecessit superinductis indicarentur, a librariis quam saepe permutatae sint, constat. Sic, ut hoc in transcursu moneam, Curt. VI 4 (12) 18, ubi optimi codices, quos in hoc scriptore recensendo unice sequendos esse jam supra significavi, Leid. Bern. A. Voss. I haec habent (agitur de mari Caspio) „piscium in eo longe diversi ab aliis colorem“, neque cum veteribus editoribus scribendum est „pisces in eo longe diversi ab aliis coloris“, neque cum Zumptio et Fossio „piscium in eo longe diversus ab aliis color est“, sed simpliciter restituendum „piscium in eo longe diversi ab aliis colores.“ Sed redeo ad Livium. Nec silentio praetermittam duas emendationes, quas, quamquam a me non inventae sunt, tamen, cum ex Aurelio et Eutropio ductae certissimae esse videantur, hoc loco commemorasse a proposito haud absonum erit. Liv. II 49. 4 cum in omnibus codd. haec exstant (agitur de trecentis sex Fabiis) „sex et trecenti milites, omnes patricii, omnes unius gentis, quorum neminem ducem sperneret egregius quibuslibet temporibus senatus.“ Haec ultima verba non recte habere Madvigius perspexit idemque ita ea emendanda esse censuit, ut pro *sperneret* scriberetur *sperneres* et post hanc vocem oratio distingueretur. Secuti sunt Hertzius et Weissenbornius (ed. Teub. II.) Eam ipsam vero sententiam, quae ita si scribitur existit, a Livio expressam fuisse ea evincunt, quae de eadem re scripsit Eutrop. I 16. „omnes nobiles et qui singuli magnorum exercituum duces esse deberent“ (v. nunc Madv. Emend. Liv. p. 63.) Ac sunt hae conjecturae, quibus Madvigio invideas. Neque minus certa mihi quidem videtur altera in eodem libro conjectura, quae Kreyssigio debetur. Clade Fabiorum enim exposita

cap. 50, 11. in codd. haec sequuntur: „Trecentos sex perisse satis convenit, unum prope puberem aetate relictum." Quae verba quamquam aliquo modo explicari et defendi possunt, tamen Kreyssigium (epist. ad Goerlerum p. 456 cf. E. Woelfflin in Philol. vol. VIII p. 384) recte sic scribi jussisse judico: „unum propter impuberem aetatem etc." (Secutus est Hertzius) cf. Aurel. Vict. XIV 6: „unus ex ea gente propter impuberem aetatem domi relictus." Eutrop. I 16: „unus omnino superfuit ex tanta familia, qui propter aetatem puerilem duci non potuerat ad pugnam." Jam Orosius autem, si ex verbis ejus aliquid concludi licet, in suo Livii exemplari id legisse videtur, quod codd. nunc exhibent, quippe qui II 5 p. 99 haec scripserit: „uno tantum ad continuandam eandem reservato, ut miserius audiret patria perditos quam perdidisset." Sed de Orosio antequam pluribus agam, de alio Livii loco quae animum subiit suspicionem quamvis dubitanter exponam. Lib. II 16, 7. cum narratur, P. Valerium Publicolam mortem obisse, de publico esse elatum. Sequuntur haec: „Luxere matronae ut Brutum." Jam vero Brutum matronas ut parentem annum luxisse ejusdem libri cap. 7, 4 traditur. Facile igitur aliquis dicere possit, matronas etiam Valerium per annum luxisse eo significari atque contineri, quod Livius matronas ut Brutum eum luxisse scripserit. Attamen miror, et Eutropium, qui fere ipsa Livii verba transscripsit, et Aurelium, quorum uterque aliquin, quae ex Livio hausit, neque conjecturis neque explicationibus ullis admixtis simpliciter referunt, hoc loco luctus spatium indicasse, v. Eutrop. I 11: „Quem matronae sicut Brutum annum luxerunt." Aurel. Vict. XV 6: „Cum diem obisset, publice sepultus et annuo matronarum luctu honoratus est." cf. Plut. Publ. c. XXIII. *Αἱ δὲ γυναῖκες ἰδίᾳ πρὸς αὑτὰς συμφρονήσασαι διεπένθησαν ἐνιαυτὸν ὅλον ἐπὶ τῷ ἀνδρὶ κτλ.* Accedit, quod Livius reliqua, quae ad mortem Valerii pertinent, magna cum accuratione persequitur. Itaque his omnibus reputatis haud longe absum, quin putem, in codice Livii archetypo vocem „annum" excidisse eumque haec scripsisse: „Luxere matronae ut Brutum [annum]. Eodem anno etc."

Tandem ad Orosium redeo. Qui cum saepissime ipsa Livii verba transscripserit, id ubi factum esse intelligimus, quanti ea quae posuit facienda essent, si, quid ubique in codd. ejus, quorum satis antiqui exstare videntur, bonis scriptum esset, sciremus, patet. Idem enim obi-

cunque res suo Marte exponit, tam strictim et negligenter eas persequitur, tam foede corrumpit, invertit, gravissimis erroribus depravat, ut, quid ipse legerit, discerni plerumque nequeat. At ne eis quidem locis, ubi ipsa Livii verba ascivit, quid Livius scripserit, docemur, sed quid ineunte quinto p. Ch. n. saeculo in codd. annalium Livii scriptum fuerit. Jam his autem temporibus ut plurimorum scriptorum latinorum ita Livii librum suos valde corruptos fuisse, certis argumentis demonstrari potest, quae hoc loco colligere et enumerare longum est. Interpolationes vero, quibus tam multos codices inquinatos esse videmus, quando esse ortas putabimus? An post saeculum septimum? At his temporibus paucissimos fuisse scimus et sermonis latini ita peritos et litterarum latinarum tam curiosos, ut aliquid cum veri specie verbis scriptorum latinorum de suo quidquam inserere possent. Vix est quod dicam, hoc non neque valere de codd. saeculo decimo tertio recentioribus, a quo tempore doctos illos Italos potissimum in libris scriptorum latinorum, velut poetarum elegiacorum, recensendis nec non interpolandis operam collocasse constat. Orosius autem quam parum veri studiosus fuerit, scimus. Eundem librum suum partim in Africa partim in Hispania composuisse legimus (cf. Th. de Moerner l. c. p. 21 26 30). Quid mirum igitur, si eum corruptis Livii annalium exemplis usum esse comperimus? Ac sunt certe quae id demonstrent exempla. Unum adscribo. Livius XXVI. 36. enim orationem M. Valerii Laevini refert, qua is a. u. c. 542 patres, ut exhausto aerario subvenirent et unde classis paene posset suppeditarent, cohortatus sit. Hujus orationis paragrapho 5. seq. in cod. P. haec leguntur verba: „aurum argentum signatum omnes senatores crastino die in publicum conferamus, ita ut anulos sibi quisque et conjugi et liberis et filio bullam, et quibus uxor filiaeve sunt, singulas uncias pondo auri relinquant, argenti, qui curuli sella sederunt, equi ornamenta et libras pondo, ... aeris signati quina milia in singulos patres familias relinquamus: ceterum omne aurum argentum aes signatum ad triumviros mensarios extemplo deferamus." Haec verba ab initio lacunosa esse et vocem *aes* excidisse, quam priores editores ita restituere studuerunt, ut pro *omnes senatores* scriberent *omne aes senatores*, Weissenbornius probabilius, ut mihi quidem videtur, nuper ante *signatum* inseruit, patet. Sed idem mendum jam ei codici

iuhaereisse, quem Orosius usurpavit, ea demonstrant, quae ille scripsit IV 17 p 263 „Claudio Marcello et Valerio Laevino auctoribus . aurum argentumque signatum ad quaestores palam omnes senatores in publicum contulerunt“ Qui si vocem aes consulto omisisset, ut sane etiam in eis quae secuntur ea, quae Livius de aere refert, ubique omisit, sine dubio etiam *signatum* omisisset, quod cum receperit, eum illam in codice suo non invenisse existimandum est Ceterum ex his quamquam non optimae notae Livii codire cum usum esse apparet, inde non sequitur nullum ejus esse usum Ac leve est et vix commemoratu dignum, quod, quae verba Liv VII 25 3 in optimis codd me distorta leguntur cod M *per campos maritum aquae loca*, P *p c maritu aque lora*, Leid I *p c maritum atque loca*, Harl I *p c maturitum aque loca* (agnoscis communem horum codicum originem), apud Orosium III 6 p 160 ac recte distincta servata sunt *per maritima loca subjectasque campos* Magis in rem erit Orosium contulisse ad ea quae Liv X 30 4 leguntur Exponitur proelium a Romanis cum Gallis et Samnitibus in agro Sentinati commissum. Secuntur haec „magna ejus diei, quo in agro Sentinati bellatum, fama est etiam vero stanti sed superjecere quidam augendo fidem, qui in hostium exercitu peditum quadragiuta milia trecentos triginta, equitum sex et quadraginta milia, mille carpentorum scripsere fuisse, scilicet cum Umbris Tuscisque, quos et ipsos pugnae adfuisse“ Sic edd vett et Alschefskius. In his verbis numerum peditum justo minorem et corruptum esse, primus indicavit Niebuhrius, qui sententiam suam compluribus causis confirmavit (H R III adn. 647) Eodem ducunt vestigia optimorum codicum, quorum cod M *peditum X CCCXXX*, P *peditum XIXXXCCC* exhibent. Hinc Niebuhrius scribi jussit *peditum X. CCCLXXX*, Weissenbornius *peditum deciens centena milia* in ordinem verborum recepit, qui vereor ne in augendis numeris modum excesserit Hertzius denique *peditum milia CCCXXX* scripsit Miror neminem eorum ne verbo quidem mentionem fecisse eorum, quae Orosius III 21 p 196 ex Livio scripsit „Fuisse autem absque Etruscis et Umbris, quos estu Romani bello avocaverant, Gallorum et Samnitium peditum centum quadraginta milia trecenti (*sic*) ettriginta, equitum vero quadraginta quatuor milia Livius refert, et carpentarios mille in armis contra aciem stetisse romanam“ Ac verum quidem est, Orosium eo a Livio dis-

sentire, quod hunc copiarum numerum sine Umbris et Etruscis fuisse tradit; quod quo aut consilio aut errore inductus scripserit dicere nequeo, sed ipsos numeros eum eosdem retulisse, quos in suo Livii exemplari invenit, inde mihi perquam probabile esse videtur, quod de reliquis numeris equitum et carpentorum cum Livio consentit (leve enim est et sine dubio librariis imputandum, quod in codd. Orosii *XLIV* scriptum esse dicitur pro eo quod Livii codd. praebent *XLVI milia equitum*); dissentire eb eo dicitur de uno eo numero, quem in nostris Livii codd. corruptum esse omnes consentiunt. Qui si numeros a Livio relatos mutare voluisset, sine dubio etiam numeros equitum et carpentariorum vel auxisset vel minuisset. At ne is quidem numerus, quem Orosius peditum fuisse refert, satis magnus esse videtur. De ea re disputari posse concedo et jam Orosii tempore numerum illum in codd. Livii scriptum fuisse a verisimilitudine non abhorret, sed de ea re tum demum certi aliquid constitui poterit, ubi, quid in bonis Orosii codd. scriptum sit, edocti erimus. Id vero, si aliqua cum veri specie fieri potest, etiam in verbis Livii reponere satius esse mihi videtur, quam cogitando sibi portenta quaedam numerorum fingere, quae omni securitate carent.

Conspectus locorum, quorum de lectione agitur.

Index.